

Avviso ai lettori

La Raccolta Drammatica Corniani Algarotti presenta negli originali irregolarità di impaginazione, lacune e difficoltà di lettura a causa dello stato di conservazione.

Trattandosi di volumi assemblati in legature storiche, non si è potuto intervenire nella ricomposizione corretta dei testi e pertanto le imperfezioni si sono riproposte nella duplicazione che rispecchia fedelmente lo stato degli originali cartacei.

NAZIONALE

RACC. DRAMM.

CORNIANI

ALGAROTTI

190

MILANO

BIBLIOTECA

BRAIDENSE

1640

FLAVIA

Tragoedia

BERNARDINI

STEPHONII

E Societate I E S V.

Diu antea, viuente Autore, flagitata : posthuma nunc tandem prodit .



R O M A E ,

Apud Haeredem Bartholomaei Zannetti. 1621 .

Superiorum Permissu .

MVTIVS VITELLESCVS
Societatis IESV Praepo-
situs Generalis.

Cum Tragoediam, quae Flavia inscribitur,
P. Bernardini Stephonij, aliqui nostrae So-
cietatis Sacerdotes, quibus id commissum, re-
cognouerint, ac in lucem edi posse probauerint;
facultatem concedimus, ut typis mandetur,
si ita Reuerendis. D. Vicesgerenti, & Reueren-
diss. P. Magistro Sacri Palatii videbitur. In
quorum fidem has litteras manu nostra sub-
scriuas, & sigillo nostra munus dedimus. Ro-
mae 19. Martij 1621.


Mutius Vitellescus.

Imprimatur, si videbitur Reuerendis. P. Magi-
stro Sacri Palatii Apostolici.

P. Episcopus de Curte Vicefg.

Imprimatur.

F. Gregorius Donatus Rom. Magister, & Socius
Reuerendis. P. F. Hiacynthi Petronij Rom.
Sac. Pal. Apost. Magistri, Ord. Præd.



MVSARVM,
AC BONARVM ARTIVM

STVDIOSAE IVENTVTI,

*Romani Seminarij Adolescentes
Actores S.*



ERNARDINI STE-
PHONII peracutum,
ac fertile ad quodli-
bet excogitandum,
ingenium, variam di-
cendi vim, atque
multiplicem, copiam, venustatem,
elegantiam orationis singularem ple-
rique omnes optimo iure suspiciunt.
Nos, cum haec vniuersa, tum verò in

primis, ac maximè modestiam admiramur: quòd, cùm probè sua ipsius scripta permagno æstimari ab omnibus intelligeret; adduci tamen haud vnquam potuit, vt ea in publicam lucem, conspectumq. proferret. Sex circiter, antequam è viuis excederet, mensibus, amico viro, perquam intelligenti, ac docto, roganti, hortantique, vt, quoniam & propter aetatem, & ob valetudinem, pericula mortis instarent, vigiliarum suarum opera, in primisq; FLAVIAM Tragœdiam, quae nunc datur, aliquo studio recognosceret; ne postea, quòd à mortalibus tantopere flagitabantur, minimè castigata prodirent; respondisse scimus, agnoscere se beneuolentiam hominis, eiq; propterea gratias agere; caeterum à se sua non tanti fieri. Id quod paucis ante obitum diebus re ipsa demonstrauit:

cùm

cùm sui Moderatorem Ordinis per literas vehementer orauit, ne, quae ipse scripta relinqueret, emitti, vulgariq; vllò vnquam tempore pateretur. ea quoque nimirum in re, sicut in caeteris, eximio Poëtae persimilis: qui decedens, vt opus illud egregium flammis aboleretur, suprema voluntate mandauit. Verum, vt Augustus Caesar tam dirum incendium ab excellentibus monumentis, ipso propemodum Orbe terrarum supplicante, prohibuit; Ita sapientissimus ille Moderator, nobis praecipuè deprecantibus, FLAVIAM, quam damus, è tenebris erui, atque, ad studiosae commodum Iuuentutis, in bono lumine collocari non grauatè permisit. Mirum dictu, quantum, propter exemplaria & pauca, & mendosa, & inter se discrepantia, in eius editione sudatum sit. Enimuero, nisi do-

†

3

ctif-

etissimi viri suam nobis operam
praestitissent, qui acri sanè iudicio,
quid Auctoris esset, quid alienum in-
ternoscerent, ac seligerent; re prope-
modum desperata, desistendum ab in-
cepto fuisset. Nunc adeo vobis FLA-
VIAM Tragoediam, nostris cum pre-
cibus, tum studio, ac sumptibus edi-
tam, exhibemus: & illam quidem sic
integram, vt scripta est ab Auctore.
Nos enim, quoniam acturi eramus,
ne actio inter pronunciandum in-
longè plurimas produceretur horas,
multis eam in locis amputare coacti
sumus. Quo ex munere illud cum
ad vestras, tum ad nostras ipsorum
etiam rationes accedet utilitatis, &
commodi; vt si quid minus vobis in
actione nostra placuerit, id vos faci-
lè possitis ipsa totius Tragoediae le-
ctione compensare. Valete. Aprili
mense. M. D C. XXI.

FLA-

FLAVIAE TRAGOEDIAE

ARGUMENTVM.



Pollonius Tyaneus, flagitiosus Ma-
gus potius, quàm doctus Philoso-
phus, idemq. veritatis inimicissi-
mus, & Christiani nominis hostis a-
cerrimus, T. Flauio Vespasiano Principe, qui
de Solymis deuictis triumphauerat, adeò mul-
torum animos magicis praestigijs occupaue-
rat; vt Romae, quò scelerum omnium, ac fla-
gitiorum ea tempestate colluio confluebat, il-
li, supra modum superbissime efferenti se se,
publicè dedicata signa fuerint, & decreta diui-
nitas. Hunc tamen ipsum, impurissimum vete-
ratorem, Flauius Domitianus, T. Vespasiani fi-
lius, Imperator, & ipse diuinitatis dementissi-
mus appetitor, seruilem in modum acceptum ad
ludibrium, ad cutem detonso capillo, & tanquã
è catasta stigmaticum, habitum ostentui, pericu-
lum facturus diuinitatis, in vincula coniecit:
an vt illius contumaciam frangeret? an vt in-
genium malum malis imbutum artibus exerce-
ret? Vinculorum socius idem fuit Apollonio,
qui peregrinationum comes, & consiliorum

particeps fuerat, stultitia vecors, vecordia fortis, se ipso peior in dies, Magistro tantum pessimo melior, Damis Aegyptius, & ipse magicis mysterijs initiatus. Multis adeo diebus in carcere duriter exactis, Fuluij tandem Valentis Consulis rogatu, qui Tyaneo multis officijs obstrictus erat, Domitianus Augustus perditissimis Magis à vinculis abeundi potestatem facit: cum eo, Romam vt secundum illum diem exirent; & exulibus ad quingenta millia passuum extra Europam aqua, & igni interdiceret. Beneficium locum occupauit iniuriae in pessimis ingenijs; & vehementius inflammavit inuidiam. Quapropter paulò post, in speciem officij deductus ad Domitianum Apollonius à Fuluio Consule, sexdecim Aethiopes Ephebos, nobiles gentis illius, & honorarios Principum filios, vt ipse dicebat, re vera diros Lemures, diris carminibus euocatos, qui lymphatum Imperatorem exagitarent, exemplisq. pessimis perderent, antequam iret exulatum, Domitiano dono dedit. Eo munere delinitus Imperator, Apollonium occultum hostem, palam supplicem, in intimam familiaritatem recepit. Hic, in fidem odij restincti, exilij abrogata lex, veterum offensarum oblitterata memoria, de grauissimis rebus communicata consilia,

om-

omnia deinceps beneuolentiae argumenta consequuta sunt, colloquutiones, sacrificia, mensae; quibus amici conterere similitates, & amicorum offensiones solent. Et profecto fuerunt eiusmodi, quibus, si fuisset humanus, animum hostis, quamuis asperum, emollire potuisset. At Apollonio, cuius, ob consuetudinem scelerum, omnis humanitatis sensus obcalluisset, doloris aculeus, & ignominiae vulnus illud altius, quam suspicabatur Imperator, insederat. Itaque, dissimulato vulneris sensu, tempus viciscendi doloris expectans, modum, quo Caesaris animum altius penetraret, & regnatricem domum illius funditus euerteret, animo notabat. Annus erat Secularis Romanis, quae tum erat superstitio temporum illorum, ad omnia puluinaria Deorum lustralis, ac facer: in quem Imperator, ad cumulum publicae gratulationis, publicum munus, domesticum gaudium conferebat. Cum enim illi nullidum essent ad sustinendam Aulam ex honesto matrimonio liberi, duos FLAVII CLEMENTIS patruelis filios, eximiae indolis adolescentes, ad Imperium adoptabat: & abolitis veteribus nominibus, Vespasianum alterum, alterum Domitianum appellabat. Erat in Flauio Clemente temperata virtus è CHRISTI scho-

la;

la; eaq. morum institutio, ac modestia, quae facile molem illam Imperij sustentare potuisset; nisi, quae fortunae bona caeteri perditè concupiscunt, à se recusari praeclarius iudicauisset. Ergo cum è Consulatu, quem anno priore cum Domitiano patruale gesserat, abiisset; reliquum omne tempus aetatis in literis, & in diuinarum rerum commentationibus, procul ab urbanitatis periculis, in rufficatione, tranquilla sibi deinceps exigendum putabat. Et ipse CHRISTI moribus erat imbutus: & Christianis institutis, clam Imperatore, domus eius omnis erat addicta: DOMITILLA maior, eius vxor; DOMITILLA minor, eiusdem ex Plautilla sorore neptis; Caesares duo, Vespasianus, & Domitianus minores eius filij, paternae non magis fortunae, quam virtutis haeredes; Nereus, & Archilleus Eunuchi minoris Domitillae Custodes, homines eximiae sanctitatis. Dicit vix potest, quantum Domitianus Augustus sibi Romanorum animos, caeteroquin infensos, hac duarum iuuenum adoptione placauerit, & exterarum gentium voluntates adiunxerit, & ab alienata militum studia reconciliauerit, atque deuinxerit. Quod cum Tyaneus, in eius exitium intentus, animaduertisset; sortitus oculis locum, quò vul-


nus

nus infingeret, CLEMENTEM, & Clementis filios ad perniciem designabat; quòd ijs maxime munimentis, & Imperatoris ipsius, & omnino Flauiae gentis fortuna videbatur insistere: quae si quoquo modo corruerent, defutura cernebat praesidia, quibus imminentem ruinam, & Romanorum vim à suo capite Domitianus arceret. Nec eum ratio perditissimi consilij fefellit. Filijs enim Clementis non ita pridem ad Imperium allectis, eodem die vnà cum Patre sublatis, ex Sibyllinis versibus, & Fortunae Praenestinae carmine, quo, quemadmodum Tyaneus explicabat, ad Deorum iram auertendam ex CHRISTI disciplina Pater, & Filij poscebantur; exutus patruelis opibus, & Caesarum iuuenum custodia Domitianus, Magicis artibus latus dedit: & in illam se se perniciem voluntarius induit, quam à se, cum suo beneficio, tum propinquorum Principum expectatione depulerat. Ergo fida stipatione necessariorum destitutus, à coniuratis, qui non tam suum, quam publicum dolorem vltumibant, oppressus, Apollonio geminam palmam dedit, & hostilis exitij, quod in Imperatore quaerebat, & implacabilis in CHRISTVM inuidiae, quam Christianae rei laudibus, & incrementis inflammata, Christianorum calamitatibus

tibus

tibus extinguere posse credebatur.

Romae gesta res est anno Seculari, confluentibus ad seculares ludos undique peregrinis: quo tempore IOANNES Apostolus, Zebedaei filius, unus ex caeteris Collegis superstes, Romanam ex Asia profectus, Romanam arcem, & Ecclesiae principatum PETRI auctoritate fundatum, PAULIq. virtute stabilitum, sua quoque suffragatione muniebat. Igitur ad immane facinus praeeunte Tyaneo, Sibyllini carminis, & Praenestini Oraculi interprete, CLEMENTE iugulato, Filijsq. mactatis in Mineruae sacro, in omne deinceps Christianae Reip. corpus fauentum est. In Insulam Pandatariam, & Pontiam amandatae DOMITILLAE duae, IOANNES in Cycladas deportatus, in omnem aetatem, ordinem, sexum iterum erupit Neroniana crudelitas.



Argumentum aliud breuius.



T FLAVIUS CLEMENS, Flauij Domitiani Augusti patruelis, & Vespasianus, & Domitianus minores Caesares eius filij, Christianis moribus instituti, pro CHRISTI Religione caeduntur. Res agitur per Apollonium Tyaneum Magum, capitalissimum hostem Flauiae gentis, & CHRISTI; Domitiano maiore, qui sibi fidissimorum exitio consulebat, magicis dolis in speciem religionis inducto. At CLEMENTI quidem, eiusq. filijs, quod hostes moliebantur, Imperium Romanum cum vita simul ereptum est: nominis verò diuturnitas, & virtutis immortalitas non est abrogata. Viget Coelo recepta, vigebitq. in fama temporum, in memoriae literis, in animis posterorum: egregio documento proposito, nihil facilius esse Christianis hominibus, quam vmbrae humanae gloriae fugitiuam, ac breuem prae coelestis felicitatis aeternitate contemnere.




PERSONAE.

- F** *Lamen Dialis cum Mystis.*
Pueri nobiles Senideni, Seculare
carmen concinentes.
Apollonius Tyaneus Magus.
Damis Aegyptius, eius Auditor.
C. Fulvius Valēs Cons. cū Licitoribus.
Paredri. Lemures sexdecim in Aethio-
pum Epheborum imagines euocati.
Chorus ex puberibus Christianis du-
plex.
T. FLAVIUS CLEMENS *Christianus*
Exconsul.
T. Vespasianus minor *Caesar, Cle-*
mentis filius.
C. Domitianus minor *Caesar, Cle-*
mentis item filius.
Praefectus Praetorio cum Militibus
Praetorianis Cohortis Italicae.
T. Flavius DOMITIANVS *Impera-*
tor Augustus.

FLA-

- FLAVIA** *Domitilla maior, Clemen-*
tis uxor.
Flavia Domitilla minor, eiusdem
Clementis neptis.
Virgines Ancilla.
Nereus, & Archilleus Eunuchi, Do-
mitillae Virginis custodes.
S. IOANNES *Apostolus, & Euang.*
Discipuli, qui Ioannem affectantur.
C. Antistius Vetus, *Consul alter cum*
Licitoribus, qui Fortunae Praene-
stinae Oraculum scitatum iuerat.
Consiliarij, seu Magistri duorum
Caesarum.
Nuncius unus, & alter.
Flamen Flavius Augustalis.
Praefectus Castrorum cum cohorti-
bus militaribus.
Popa. Praeco, Mysta in sacrificio.
Falsus Clemens, falsus Ioannes, qui
est Tyaneus Magus.



FLAVIA.

TRAGOEDIA.

BIS. ACTA. IN. ROMANO. COLLE-
GIO. SOCIETATIS. IESV. SVB.
INITIVM. NOVI. SECVLI. AN-
NO. IVBILEI. CID. IDC.

CLEMENTE. VIII.

PONT. MAX.


RVR SVM. HA VD. SEMEL. A. NO-
BILISS. ROMANI. SEMINARIJ.
ADOLESCENTIBVS. EIVS.

DEM. SECVLI. ANNO

XXI.

SEMPER. PLACITA.

SAEPIVS. POSTVLATA.



FLAVIAE

TRAGOEDIAE

BERNARDINI

STEPHONII

ACTVS PRIMVS.

SCENA PRIMA.

*Flamen Dialis cum Mystis. Senideni
Pueri pretextati, & coronati.*

Flam.



Am Gange Titan aureum
promens caput,
Agmen minorum siderum ex-
tremum premit.

Curas reducit laetus, vt nunquam, dies,
Comune tandem gaudiu Romae vehens.
Foelicitati Flaviae mundus studet,
Larga serenus luce: quod nemo Deos

A

Orac-

2 FLAVIAE TRAGOEDIAE

Orasset vnquam. Vota terrarum fouet,
 Quisquis Deorum Romulae genti fauet.
 Nunc, conuolutis orbibus magnis decem,
 Vertitur Olympo seculum verè aureum:
 Et Flauiorum tertius ductor Ducum
 Domitius, auctus mente meliori, duos
 Imponit Orbi Caesares, dignos patre.
 O vota Romae iusta! Tu, Pubes, sacris
 Affueta nostris, cinge verbena caput.
 Ex arce puram tolle: tu liquidum, puer,
 Infume fontem: templa patefiant Deum:
 Extuscitetur ignis hesterni cinis:
 Diuitis acerrae dona non parcè ingere.
 A Ioue gerundae rite principium rei
 Ducatur. omen approbo: facili coma
 Ultrò reluxit ignis. haud temerè hoc erit
 Visum: benigno numen haec vultu videt.
 Sator Deorum, clara qui nutu quatis
 Liquidi astra mundi; tuq. consortis tori
 Regina Iuno; tuq; Mauors inclyte,
 Romana clypeo regna qui vasto tegis;
 Et tu, Quirine, Martiae Romae pater,
 Hoc propius omè aspice, & firma obsecro.
 Urbem salute sospita, vt semper soles:
 Tutare praesens: vota terrarum euehe:
 Consilia, quaeso, iusta fortuna Ducis.
 At vos, per Urbis rite digressi vias,

Hinc

ACTVS I. SCENA I.

3

Hinc Seculare carmen, & laudes Deum
 Pueri, recenti flore redimiti comam,
 Dicite vicissim, nobile Anchisae genus.
 Iungite Deorum laudibus laudes Ducum:
 Orate castos seculi mores noui:
 Mitem Senatum, iura Dardaniae togae,
 Docilem iuuentam, coniugū sanctos toros;
 Aulae decora regna, populorum fidem,
 Auras salubres, fertilem frugum Palem.
 At ego sacrorum Pontifex, Flamen Iouis,
 Iussu Tyranni, tacita longaeuae senis
 Carmina Sibyllae consulo: hinc ite ocyus.

Pueri. **P**hoebe, sylvarumq. potens Diana,
 Lucidum Coeli decus, &c.
 Ex Epod. Horatij Ode vltima.

Flam. Quid hoc? amicis nemo gratatur Deis?
 Cultu Deorum templa neglecto vacant?
 Hoc simile monstri. Luce tam festa, piè
 Non ciuis has, non hospes has Aedes adit?
 Cùm replicat Orbem seculū: cùm se Deum
 Largiflua Romae dona gratanti explicat?
 Oblita Diuos, Roma, non multum places?
 Hostis Deorum CHRISTVS hos mores
 docet.

A 2 S C E

SCENA SECVNDA.

*Apollonius Tyaneus. Damis
Aegyptius.*

Tya. **M**Vndi nitentis liberum tandem diē
 Hausi, negatum Caesaris iussu diu.
 Tandem catenas, carcere effracto, exui;
 Rigidumq. Chalybū pondus excussi; & sitū
 Corpore reteri squallidum inuisi specus.
 Quam prope timore maius exitium fuit!
 Nec innocentis Pontifex venefici,
 Nec sceleris architectus vnus sciens,
 Nimium verebar, conscius fraudū omniū,
 Violenta Regis iussa: ne, qui Coelitum
 Quassare gestit sceptrā terrifica manu,
 Et crispis fulcas nube iaculari faces,
 Regum Tyrannus; quiq. Panchaea coli
 Semesse poscit; iure polluti aetheris
 Exueret, & me premeret exemplo vltimo,
 Infame monstrum, generis humani lues.
 Ille ego nocendi mille Tyaneus vias
 Ingressus, omni doctor instructus dolo,
 Erebi Sacerdos, Ditis interpres, diu
 Impune multiformis, impune improbus,
 Mul-

Multa piorum caede respersus manus;
 Nodis onustus ferreis, nexus graui
 Compede, sub atro carcere extraxi dies?
 Mento renatus crinis abrafo niger
 Primum praecumbrat pectus incultè iacēs.
 Quem stirpe ab ima iussit euelli mihi
 (Ludibria nostrae gentis haec illi placēt)
 Falsus Mineruae filius, caluus Nero.
 Vt ecce pallet oris exanguis color!
 Paedore macies liuido ambedit genas:
 Florens recessit sanguis: exucto cutis
 Corpore resistit arida, & tactu aspera:
 Tempora lacunis bina subsidunt cauis:
 Introrsus acies abijt: & moestis putres
 Oculi cauernis penitus abstrusi latent:
 Creuere digiti: pectoris cratis loco
 Emergit omnis: tubere immodico artuum
 Structura surgit: prominent supra modum
 Nexus latentes ante: compago ossium
 Artus per omnes, carne subducta, patet:
 Mensura nulli iusta membrorum manet.
 Hoc ille nostri specimen impurus dedit,
 Contusa flagris membra dū vinculis domat,
 Et lenta mulctae spatia per fontem trahit
 Diro sub antro, nocte ferali obfeto.
 Huc me redegit, odia qui poenis alit,
 Et scelere proprio fruitur, alieno furit.

Nunc sibi litatum credit: & raptae prius
 Dat dona lucis: sponde nunc tandè eximit
 Attrita membris vincla. Poenarum satis
 Est, inquit; exi: munus hoc nostri ferens,
 Quòd non peristi: statue nunc demū modū
 Fraudi, periclo doctus: è vinclis abi.
 Ut otiose saeuit! E vinclis abi,
 Tuo periclo doctus. E vinclis Magus
 Inultus abeat, spretus, irrisus, lacer?
 Glacialis Auster citius incernet niues:
 Boreas aduret proxima Aethiopes face:
 Eripiet Euro Zephyrus Orientem domū:
 Occiduis Eurus diuitem inuadet Tagum:
 Gracili Corinthus maria committet duo
 Isthmo remota: iunget Hesperiae latus
 Siculum Pelorus: saeuient Syrtes minus:
 Accincta monstris Scylla latratu fero
 Terrere nautas desinet: rapido vorax
 Flexu Charybdis, vortice explicito, rates
 Sorbere parcat, semper aequato mari:
 Amicus astris Erebus, & terrae prius,
 Quod reperit ipse crimen, infectū volet,
 Et iura terrae, iura restituet polo;
 Quàm mihi residat cordis insani furor.
 Tam facilis ira, quod sciam, non est Magis;
 Mihi maior aestus, maior irarum tumor,
 Armatus omni fraude, vindictae imminet.

Non

Non sic recumbent odia. qui lentè dolet,
 Dolere nescit. quisquis immitti fouet
 Sub corde flammam, pronus in poenas ruit.
 Placatus hosti citius ad mentem redit,
 Quicumque facinus hostis vlcisci nequit.
 Me sic inermem, scelere confixae meo
 Negant maritae, virgines, iuuenes, senes,
 Toties tributim, nostra dum ludit manus,
 Longo per vrbes agmine illati rogis.
Dam. Nil merita, nil officia te vincunt Ducis?
Tya. Ingenia meritis nesciunt vinci mala;
 Peiora fiunt.
Dam. Vita, libertas, dies,
 Communis aura, spiritus, donū est Ducis:
 Huic dede dextram.
Tya. Vita, libertas, dies
 Communis aura, spiritus, iusti locum
 Odij occupauit.
Dam. Maius est ira hoc malum.
Tya. Fateor. *Dam.* Sed esse simile portēti reor.
Tya. Hoc fateor etiam; iuris at non sum mei:
 Trahit ira praeceps; error & cordis trahit.
Dam. Et ira, & error cordis in rectum potest
 Iter reflecti, ratio si mentem regit.
Tya. Cū ratio mētis imperat, nullū est scelus:
 Est dextra segnis, deses & virtus iacet.
Dam. Praestat iacere, nemini si sic nocet.

A 4 No.

Tya. Nocere qui vult nemini, huic cūcti nocēt.

Dam. Noceāt; sed auctor sceleris est peius nocēs
Quam cui nocetur. *Tya.* Ista si ratio valet
Omnia licebūt imppbis. *Dam.* Nil imppbis
Vere licebit, vera si ratio placet.

Tya. Desiste tandem. falsa, non vera assequor.
Materia nostri sceleris est donum Ducis.
Vt viperarum virus ex ipsa dape
Augescit; odium dona sic augent meum.
Nunc, anime, perge: crimini laxas nouo
Immitte habenas, quā licet, quā non licet.
Nunc quid dolentē deceat, & Magū vide.
Nūc omne p̄ceps facinus, & magicos dolos
Aggredere: non es fortis, immitis nisi es.

Incumbe in iras, quantus ex alto trahit
Sinu, procellis Africus stridens nigris,
Libyci Tyrannus aequoris: quantus rotat
Ad saxa fluctus, iura dum dubij maris
Hinc pluuius Auster repetit, hinc Scythi-
cae niuis

Molitor: aestus quantus Aetnaeis sonat
Piceus cauernis: qualis, Aetnaeis pares,
Vertice triformis fumido eructat globos
Liquidos Chimæra: qualis abreptas procul
Siculo in profundo fabulae notae rates
Deuorat hiatus: qualis in gyrum citat
(Nā magica cogūt murmura) ex imis nem⁹

Turbo

Turbo reuulsum stirpibus, crebra face
Cūm porta Coeli mugit, & scisso aethere
Fulmina rubenti nubilo ingemināt metus;
Humilis ferarum tecta cūm sternit pauor,
Et tristis aër nube densata coit,
Illisa tectis grando cūm fractis crepat,
Cūm tūsa fluctu littora incusso gemunt,
Et terra nutans cardine emoto tremitt:
Aut qualis olim, regna dum vexat Deūm
Audax Gigantum, matris hortatu, cohors,
In pauida montes astra frondosos iacit:
Aut ipse quantus inferae rector domus,
Sidera minaci clara pauefecit statu,
Dum laeta summi sceptrā molitus Patris
Gelidos triones pube discordi quatit.

Dam. Impar furori dextra nequidquam furit.
Metire temet, hostis, haud iræ modo.

Tya. An qui mouere pallidum cantu Chaos,
Soluere trifaucis ora qui possum canis,
Et flexa retro flumina, inuito pede,
Attonita fontis hortor incunabula
Iterare; qui cum saltibus syluas sequi,
Et ire cautes carmine auritas meo;
Qui pura sulco signa sulphureo traho
Refixa Coelo; nocte qui tacita queo
Deripere Lunam; sorte qui mira eloqui
Vocale saxum doceo venturi exitus

Me-

Metus latentes ; cereas imagines
 Inire gressus ; è sepulcretis domum
 Remeare functa corpora, & vulgò cauis
 Volitare formis ; frontis humanae modo
 Animas ferarum terga saeuarum truces
 Induere setis horrida ; & solis vagas
 Errare campis, murmur vt iulit meum,
 Colchi susurro, & Thessalo potentias ;
 Nihil in Phalaridè hunc viriù nostros q̄rar
 Habere cantus ? pauerit vultus truces,
 Inuulneratus ipse, vulneribus meis ?
 Dolore nostro riserit terrae dolor ?
 Paedore nostro gestiat mundi pudor ?
 De me triumphet, spolia de nobis gerat ?
 Irrisus, & contemptus, & Romae iocus,
 Nullo repenso scelere, Tyaneus gemam ?
 Imo popello fabulam de me dedit ;
 Nullum reponam facinus illusus Duci ?

Dam. Donare crimen saepe vindictæ fuit.

Tya. Donare crimen hostibus, stulti est reor,
 Vindicta inausa . Roma me spretū videt,
 Quem modo colebat pecore votiuo Deū ;
 Nec ibo in hostes ? frigidae credo manus
 Languent, cruētæ sanguine actatū omniū.
 An nil Magorum sacra laeforum valent,
 Quae mundus horret omnis irato Deo ?
 An ira languet prima, ceu flammae vapor,

Quam

Quam segnis animi subitus instigat furor ?
 Si bene furores pectoris noui meos,
 Ludibria si quid longa, si poenae graues,
 Diuturnus animum si quid accedit dolor,
 Memor ira flammis mente viuaci geret,
 Nulla Tyranni clade, nullis hostium
 Saturanda monstris.

Dam. Ede, quid tandem paras
 Minor Tyranno ?

Tya. Fulmen inuadam Iouis :

Mirante victor Gange praecipitem diem
 Rependam in ortus: Solis exemptū iubar
 De nocte media mundus emeritus dabit :
 Tremulae corusca nube discurrent faces:
 Scopuli natabunt: crebra riparum toros
 Pulsabit vada: vasta committam locis
 Dirempta vastis maria: labefacto specu
 Tellus dehiscet: cernet Acherontem dies:
 Poenas in hostis ordiar Coelum, Styga,
 Viuos, sepultos, belluas, fluctus, faces ;
 Rabiēq., moerorēq., & horrifonū Chaos.

Dam. Stringentur enses: impetus nosti Ducis.

Tya. Libet ire in enses: aggredi clades libet,
 Quas omnis aetas audiat, nemo probet.

Dam. Fortuna vires abnuuit tantas tibi.

Tya. Natura caecae nostra fortunae imperat,
 Assueta sceleri.

Iner-

Dam. Inermis armatum petes ?

Tya. Audax, inermis esse non vnquam potest:
 Quem scelus, & ira stimulat, armatū puta.
 Quid proderit, me numini Plutonio,
 Surgente Luna, menstrui voti reum
 Dextram, nefandis impiatam victimis,
 Lustrasse ad aras, sāguine humano oblitus?
 Quid, vulgus inter Inferū vultu truci
 Stetisse medium? quodq. vix rector Stygis
 Auderet ipse, noctis illunis sacrum
 Iugulasse in ignem paruulos? graciles acus
 Egisse in artus? coniugum irreuocabili
 Fixisse thalamos turbine? optatis toros
 Orbasse natis? omnium scelerum luem
 Sparsisse terris omnibus? claras Ducum
 Funera per vrbes saepe duxisse? impio
 Foedasse luctu regna? turbasse aethera?
 Vouisse Diti spiritum, & scelerum fidem
 Firmasse? votum iureiurando impium
 Sanxisse, fractis hospitem ceruicibus?
 Iterasse sacrum semper ex illo vetus
 Nouendialis victimae incesta face?
 Habuisse nunquā sceleris immunes manus?
 Seruasse nulli foederis pacti fidem?
 Temerasse iura gentium, mentis, DEI?
 E pectore exturbasse probitatem, metum,
 Verum, pudorem, iura, pietatem, decus?

Mox,

Mox, decore pultio, pectus impurum omniū
 Hausisse turbā facinorum; infandū scelus,
 Inhospitalem Caucasum, & fraudē, & dolū,
 Et saeuam Erynnim, & crimen, & Ditem,
 & Styga?

Age, mens, in omnem prona nequitiam irruere:
 Accinge sceleri pectus, ad nullas iners
 Fraudes; vetustum temet hortare in scelus.
 Est tanti, in omni scelere versatas manus
 Non esse, cū quid tempus exegit, rudes.
 Iuuat esse saeuum: fraudis expertem iuuat
 Nunquam fuisse: criminum refert vias
 Remeasse toties. Quisquis est doctē nocēs,
 Huic dextra vulnus irritum nullum dabit.
 Quem caecus error cordis audacem facit,
 Idem ad latentes inscium cautes feret,
 Nimiū secundus Auster vt quondā rates.
 Ante acta vita facile despondet nefas.
 Ludens peregi scelera, suspensā manu,
 Innumera, inausa, infāda, truculēta, horrida
 Erebo pauenda: dextra quid faciet grauis?
 Mansueta tantum saeuit improbitas mea,
 Quid prouocata? laesa quid tandē parat?
 Haec sunt amicis dona quae ludo damus;
 Quod speret hostis, hoste de laeso, malum?
 Nulli pepercit mollis artificis manus,
 Artificis vlli parcat offensi dolor?

Mihi

Mihi vacavit haecenus magicus furor :
 Alijs locatus profuit, nunquam mihi :
 Nunc nostra nobis seruiat demum manus .

Cur, ira, questu protrahis segni diem ?
 Hostis petatur : vindici poenas luat,
 Quas debet. Aulã cinere cumulabo arduã :
 Effusa late flamma, Romanas opes
 Populata, templis equitet, & victrix globos
 Ad astra fumi voluat : ex alto ruat
 Regia: Tyrannũ culmen euersũ opprimat:
 Fragore vasto testa Dardanidum sonent :
 Sonitum ruinae disilitae gentes procul,
 Quascũque tellus educat, moestae audiant.

Dam. Sile, magister, obsecro: nimium rege
 Animi dolorem: supprime & magnae fonos
 Linguae : tacere quisquis, aut animo valet
 Patiente ferre, grauia sint quamuis mala ,
 Referre melius poterit . ignarum premes
 Citius, fefellit ira quem tutò latens .
 Magnus tegendo tutius faeuit dolor .
 Professã verbis ira vindictae perit .

Tya. Quisquis dolorem regere consilio potest,
 Et clepere se se tacitus ; aut falsò dolet ,
 Verum aut dolorem segnis vlcisci nequit .
 Iuuat ire cõtra: perdet, aut perdam scelus.
 Ruat ira praeceptis: magna se produnt mala.

Dam. Animum ruentem siste: vix tacitum quies

De-

Defendet vlla; bella quid stultè moues ?

Tya. Fortuna fortes euehit; segnes premit .

Dam. Fortuna placeat, regere quã virtus potest .

Tya. Nil regere virtus vera, non fortis, potest.

Dam. Rabidè incitatum nulla te virtus iuuat .

Tya. Animus iuuabit , ipsa si virtus vacat .

Sic tibi Magorum notus est, Damis, furor ?

Dam. Furore quid iam restat ex illo tibi ?

Tya. Tyaneus ipse. *Da.* Victus aerũnis. *Ty.* Malè

Erras. medullis noster innatus furor

Abire nullis victus aerumnis potest .

Dam. Tyanee. *Tya.* Cedam? *Dam.* Sceptra non
 horres Ducum ?

Tya. Quae saepe fregi .

Dam. Saepe ; sed semper fauet
 Fortuna nulli .

Tya. Non habet casus locum ,
 Vbi certa virtus dexteram certam regit.
 Fortuna nostrum saepe praeterijt caput .

Dam. Què saepe praeteriuit, aliquando excipit.

Tya. Excipiat; hostem dummodo per me petat.

Dam. Nescis quid instet .

Tya. Arma, ni fallor, Ducis .

Dam. Et peior armis lenta morituro fames .

Tya. Huc adige toruas belluas, flammam, rotas,
 Hydraeq. succos; memet impendam super
 Hostis ruinam .

Vita

Dam. Vita tam vilis tibi est?

Tya. Votū est Magorum, posse damnatū caput
Obijcere morti. Rumpe sermonis moras.
Mihi stat per enses obtuium strictos neci
Offerre nudum pectus. Huc flauum mihi
Accerse Thespim. nostra tu fidē occule
Cōsilia fraudum; perge, dum mecū modū,
Aptūq. tēpus exigo. *Hic Damis abscedit.*
Abscessit. Vacat

Haec teste regio? cōmode in cātus vacat.
Demurmuratum carmen Hecateium sonet.

Hic rite praestat inferum exciri Chaos,
Magicaeq. murmur noctis, & dirae precis
Feriale carmen. Crudus umbrarum arbiter
Ut semper adsit, igne luctifico facem
Megaera quassans pectus incestet meum.
De more peragat reliqua.

*Hic mutatur Scena, in speciem horri-
dae solitudinis.*

Quo ritu sacrum

Placet ordinare? iura quo laesi omnia,
Cū me met ante perdidi: quo me pudor
Fugiente fugit. Crinis effundat sacer
Ab aure laeua turbinem, fronti incubans;
Hoc noster irretitus ad nutum venit
Vulgus Sororum, sibila impexus coma.
Discincta nodo tunica resoluta fluat,

Quo

Quo flamen omnes inferū intēdat sinus.
Laesurus hostes, ante Tyaneum furor
Exagitet: ipse nescit irasci satis:
Maiore monstro pectus impleri decet.
Aptetur humeris (moris id Sufis viget)
Tenui papyro varia consuto chlamys,
Notis arata splendide Babylonijs.
Vbi vis veneno textili praefens latet
Implicita, donum Baetrij quondam senis.
Qui dape (ferebat fama sic vulgo) senex
Custos Draconis pavit Hesperij famem.
Hac explicata, saepe praecipitem diem
(Vix orbe medio stabat) exegit polo.
Hac peste, centum multiplex serpentibus,
Extulit ad auras Cerberus stridens caput.
Nunc fileat anguis multiplex; currat dies
Per pura Coeli spatia. sic vsus monet.
Laneus in orbem vinciat nexus comam:
Terno colore discolor cingat caput
Ter vitta; numerus inferos impar trahit.
Puniceus ignes, caerulus fluctus solet
Concire, furuus pallidos Manes ligat.
Percussa Diti sanguinem mittat sacrum
Sinistra vena. Sanguis hic Diti datur,
Quem reddet hostis arte mactatus mea.
Nunc exeratur Virga; quam, noctis nigris
Defensus umbris, dexterum nudus pedem,

B

Ge-

Gelidas ad Arctos, falce cantata, sua
 De matre raptam, fronde fraxinea exui,
 Silente Luna; Libra dum somni pares
 Aequaret horas pellit haec Coelo diem,
 Ut libet, & atra nube subtexit polum:
 Hac fulminantur ictibus Ceraunia
 Maiore numero: sudat in templis ebur:
 Inopinus ignis transuolat: manat cruor:
 Succussa tellus subsilit: mugit solum:
 Culmina laborant: maria curuatis tument
 Fluctibus, & aestus naufragas phocas agunt.
 Venena nunc spargantur, & raucae strigis
 Auulsa viuae viscera, & serpentibus
 Expressa sanies: spuma Gorgonei locum
 Praeuitiet anguis: hostis & furtim modo
 Sublectus vnguis: vngue nunc hostis lito;
 Mox corde, si quid carmini, Pluto, faues.
 Stat omnis ordo sceleris. In ritus sonent
 Carmina venenis nostra non istis minus
 Metuenda. Mundus vocibus primis fauet.
Hic fit terraemotus, & obscuratur locus.
 Tremefacta tellus nutat, aufugit dies,
 Omina probantur prima, succedet nefas.
*Sequentes Trochaici, totumq; incantamē-
 tum alta, & ferali voce pronuntiandū.*
Inferi specus Barathri, semper inamoenum
 Chaos,

Sem-

Semper intempestum, semper nube moesti-
 fica obsitum,
 Turpis ò gementum sedes turpium, illac-
 tabilis
 Taenari praiceps hiatus, lucis ò viuorum
 egens,
 Orbus orbis ò nocentum, vosq. Auernales
 lacus,
 Liuidae paludes, vosq. torridae ripae vado
 Igneo liquentis sulphuris, mistim quae
 feruidis
 Fluctibus rotatis noxias animas, hostes
 poli;
 Vos precor, vos supplex sacris corde non
 sano inuoco:
 Tuq. rector atrae noctis, tristis umbrarum
 Deus,
 Criminis repertor primi, sceleris instru-
 ctor noui,
 Ductor irae certus, irae facilis assensor
 meae,
 Tu meis, quae grata perpetrantur, assistas
 sacris:
 Vulgus audax huc effunde, effunde violen-
 tum impetum,
 Subdolos indute vultus, versipelles & do-
 los,

B 2 Ver-

Verfipelles effer artes, subdolos monstra
dolos :

Digna te patrantur ; hic dies tuas poscit
manus .

Exequor scelestus, malles exequi quod tu,
scelus .

Ducat orbem virga triplicem ; sistat in me-
dio gradus .

Cuius vnguem spargo , poscit cantus hic
poenae caput .

Age, Dirae noctis arbiter,
Arbiter Orbis, age .

Ades, omnis fraudis artifex ,
Aetheris horror ades .

Mea corda praesens obside ,
Viscera fige mea .

Cuius vnguem spargo , poscit cantus hic
poenae caput .

Pice ripas linque feruidas ,
Plus mea corda calent .

Face cor trifulca percute,
Non satis ira furit .

Rege nostrae tela dexteræ ,
Dextera nostra tua est .

Cuius vnguem spargo , poscit cantus hic
poenae caput .

Tibi si tepescit sanguine

Ho-

Hospitis ara frequens ;

Tibi si cruore menstruo

Luna renata rubet ;

Tibi si venena Colchica

(Triste ministerium

Sceleris) per omnes ordines

Per caput omne fluunt ;

Cuius vnguem spargo , poscit cantus hic
poenae caput .

Tibi si puer cunabulis

(Nil tamen ille miser

Meruit, parens nec flebilis)

Tractus ab ense perit ;

Tibi crebra si iugalibus

Imminet ira toris ;

Cuius vnguem spargo , poscit cantus hic
poenae caput .

Duce te libens , te praeside ,

Si scelus omne sequor ;

Tua iussa si capellimus ,

Vel renuente DEO ;

Tua signa si producimus ,

Quà DEVS ipse vetat ;

Cuius vnguem spargo , poscit cantus hic
poenae caput .

Age, Dirae noctis arbiter ,

Arbiter Orbis , age .

B 3

Ades

Ades omnis fraudis artifex,
Aetheris horror ades.

Cuius unguem spargo, poscit cantus hic
poenae caput.

Tibi zona dissolutos
Explicat ad terram saepe recincta sinus.

Tibi vitta per suffurros
Implicuit magicos tempus utriusque triplex.

Tibi laeva turbinatas
Pars alit in fraudes irreligata comas.

Tibi vena rore rubro
Saepe sinistra meo vulnere laesa fluit.

Tibi virga, circinato
Pulvere, non notas ducit ab arte notas.

Tibi ter notatus Orbis
In triplices cogit nomina terna dolos.

Tibi verberata tellus
Ad magicos cantus agmina iussa mouet.

Criminis sator triformis,
Clari vastator Olympi,
Ductor à serpentipedum cateruae;

Lucis horror, almae lucis,
Sancti foedator honesti,
Concicator nimbisonae procellae;

Guttur à trilingue, monstrum,
Veri desertor, & æqui,
Arcis obsessor glacialis audax;

Mul-

Multiplex genus Draconis
Lernae pollentius hydra,
Squammeae dux centimanus cohortis;

Multiformis artis auctor,
Patrij populator honoris,
Cui Medusaeo gemit angue crinis;

Mille monstra, mille vultus,
Fraudum tibi nomina mille,
Huc ades primi sceleris repertor;

Horridi turmas Auerni,
Cocytia monstra recense,
Vulgus eructa furiale terris.
*Hic latratus canum exprimitur: flamma
per rimulas penetrans visitur.*

Audior: tenentur vota:
Terno iam gutture latrat
Carceris custos truculentis imi.

Peracta vis est sceleris: infernus vapor
Trifidas ter, anguis instar, euibrat faces,
Cum, vere primo, discolor tergi notis,
Sub Sole spiras soluit, & linguis micat.
Nescio quod Erebus horridum expumat
scelus.

Id quiddam est, haud moris assueti est, reor.
Ita sit. Quirini regna quatefiant dolis:
Temerentur arae crimine: insonti fluat
Regia cruore: quidquid est clarum, occidat:

Cadat hostis in me; dū modo per me cadat.

Hic, aperto antro, monstra prodeunt varijs formis: Cerberi, Hydri, Centauri, Draconis, Harpyiae, &c.

Tya. Malè agis, fatelles turpis; hinc gressū amoue,
Rediturus ore laetior, vultu, gradu.

Grassamur astu: foeda simulacra exue

Artibus inepta: Viperas frontis breues,

Torquem Draconis flexilis, piceas faces,

Setas rigentes pone, quae sceleri nihil

Profunt doloso: fallere ignaros paro.

Molire faciem callidis aptam dolis:

Oculis amicum quaere Romanis decus.

Membris, coacta nube, compositis placens

Praetexe specimen fraudibus. nosti modū.

Si quaeris ex me, dulce quae visus meos

Aetas laceffat; flore vernanti lepos,

Iuvenile flagrans, spiret animosās minas:

Quem vos amatis, ater infuscet color

Efficta membra. qualis Aethiopus solet

Vini ministros regij: quales Duci

Barbara Syene nutrit, & paribus iubet

Pharetris Ephēbos ire: vel quales cito

Praeire docuit, more famulari, gradu

Nini vxor audax, Baētra dū bello quatit,

Mentita sexum puberum turmas agens.

De more gentis, crinis intortus, breui

Cri.

Crispatus orbe, flexiles cirros dabit.

Certent labella purpurae, dentes niui:

Aures Erythrae degrauet pondus teres,

Et nuda colli flaua praeradiet cyclas,

Baccata gemmis breuibus: armillis graues

Ambae coruscent arte Mygdonia manus.

At crocea vestis, barbaro ritu fluens,

Zephyros procaces puocet: geminis pares

Humeris vtrinque pendeant auro illitae

Manicae: fluentes religet admorsu sinus

Rutilo pyropus: sura Sidonio decens

Niteat cothurno: gemmeo laeuum latus

Suspensa nodo muniat (gentem decet)

Harpe, recuruus ensis: ex humeris sonent

Pictae pharetrae: fronte primori lita

Guttis mitellā luteis, fingat comas.

Nec segne vulgus, artium aut posco rude:

Saltu, palæstra, literis, cantu, fide,

Caestu, sagittis, puberes celeres volo.

Regale munus apparo. hae laudes placent.

Dapibus venena dulcibus tutò latent.

Hic monstra in cauernam redeunt.

At me, dolosa monstra dum fraudes serunt,

Confingere alios subdolum vultus decet.

Praetendat astus humilis in vultu pauor,

Frontem serenet risus incertae spei,

Aequata pellat ruga moerorem grauem,

Su-

Suspicio ne qua retegat inceptum scelus,
 Redeat ad oris pristini mores color.
 Sinus recincta vestis undosus legat:
 Adstrictus ora detegat crinis sacri
 Turbinis: Iarchae munus, auri circulus
 Lucis hodiernæ pollicem ritè ambiat.
 Hoc ille pignus ferre discipulo dedit
 Vates futuri, fiderum interpres, meae
 Fictor iuventae, fonte Tantaleo madens.
 Monumenta fidei, dixit, haec nostrae cape,
 Tyanae: vitae sume tutamen tuae.
 Adstricta vis est orbibus fuluis sua,
 Suumq. nomen singulis. septem capis:
 Numerum dierū numerus acquavit sacer.
 Nosti Magorū scita: Memphitim quoque
 Ogdoada nosti lege replicantem dies.
 Nomina dierum singulos orbis notant.
 Sacer anulorū est numerus, & nomen sacrum
 Sacer usus etiam; debet aptari sacris (est,
 Ut quemque Sol euoluit ad numerū diē.
 Eius diei, forte quem nomen notat,
 Ex ordine orbem pollicis insertum gere.
 Munitus illo, regna conspirent licet,
 Soluantur orbis, cardine effracto Poli,
 De morte media liberum expedies caput.
 Hæc fatus, Hecaten pollicis aptavit: dies
 Ogdoadis alter ibat: ex illo die

Ex-

Expers pauoris pectus obieci omnibus
 Vltro periculis; sospes emerisi omnibus.
*Hic iterum fit terraemotus, & ignis e
 cauerna.*

Contremuit ecce terra: Taenario specu
 Emicuit ignis. Erebus ornauit dolos.
 Matura fraus est. Anime, cōsurge & vaca.
 Exite, Iuuenes: ore pellaci vafrae
 Consilia mentis tegite: non vno mihi
 Crimine probati, rapite, non vno mihi
 Crimine probandi, spiritum hunc vestrum
 in chorum:

Vexate monstris pectus incestum nouis.

Hic exeunt sexdecim pueri ad ludos exhibendos, Aethiopum more vestiti.

Exite, causa fraudis, & pretium meae:
 Numero vocanti turba respondet Stygis.
 Ut semper, Erebe, crimini nostro faues!
 Ne fructus operæ pereat, hic vobis dies
 Reus innocentis victimæ votum luet.

SCENA TERTIA.

*Apollonius Tyaneus. Fuluius Valens
 Consul. Paredri.*

Tya. **S**ed ecce, vitae fortis assertor meae,
 Ex more nostrum Consul affatū petit.

Hu-

Huius rogatu, Caesar horrendi specus

Mihi vincla demi iussit. huic saltem sua

Officia profint: feritur huic nostrū scelus.

Seruite, Iuvenes, rempori ficti meo:

Sepite densi latera famulari globo.

Inuite salue Consul, Asiaraci genus,

Tutela nostri capitis, & noster Deus.

Cons. Maiora meritis loqueris. est laudes citra

Tuas, & infra vota, Tyanee, omnium,

Studiumq. amici, si quid impendi tibi.

Perimere cū te vellet, euictus prece,

Domitius iras posuit, exilium dedit.

Tya. Poenam putabam; munus exilium vocant.

Cons. At spatia. *Tya.* Noui. breuia cōcessit viæ;

Vnius aegrè lucis extorta est mora;

Et amputasses aliquid ex isto licet,

Nimiū impetrasse. saepe momēto breui

Momenta magna rebus infoelix trahit.

Cons. Crudelis vt bis esset, inclusum die

Exclisit orbe: spatia definit loci

Lōginqua. *Tya.* Sed iucūda: cū Graecis ero

Epheso receptus.

Cons. Ista quis, quaeso, prius

Vulgarit, vni credidit quae Rex modo

Mihi, & id seorsum?

Tya. Cuncta qui praesens videt,

Auditq. cordis hospes, & sospes DEVS.

Com-

Cons. Comperta memoras: saepe praecurris meas
Tyanee, voces.

Tya. Vota praecurram quoque

Tua, Consul: olim ductor hos fasces dabis,

Quos nūc, Tyrāni munere, acceptos geris.

Cons. Ista DEVS aliquis viderit. nunc hoc age.

Tya. Lactare verbis Principes non est meum.

Natum benigno sydere, & dextro Ioue

Ad regna series certa stellarum trahit.

Cons. Exilia nobis moesta: defessus malis

Dispone tu, praesidia quae vitae putas;

Meo paratu cuncta non parcè feres.

Tya. Regale, Consul, pectus in donis probas.

Nūc multa Cōsul, plura mox Caesar dabis.

Cons. Volueris eodem: regere, qui norūt, regāt.

Partes secundas agere tam tutum reor,

Quā mihi decorū Fare, quæ glomerat latus,

Haec vnde pubes atra? qui iuvenes domo?

Qui genere?

Tya. Sobolem, Consul, Aethiopum vides,

Iuvenes abusque Solis aestiui plaga,

Claros parentum gloria, claros sua.

Hos Thespis Epheso seruus adduxit meus:

Gratum Tyranno munus hos duci volo,

Qui Regis iram leniant. *Cons.* Vti foro,

Tyanee, nosti; machinam fortem admoues.

Nam dona Reges, dona conciliant Deos.

Pira-

Tya. Pirata, multis vsus officijs meis,
Sidonius Aegon, hospes & Patris vetus
Subiecta Cancro regna dum velis obit,
Et littorales strenue praedas agit,
Meroën adusque vectus, hunc omnē gregē,
Dum forte gentis ludicro exercet diem
Portis sub ipsis herbido in campo, manu
In feruitutem asseruit; & procul ab domo
Auexit Ephesum, misit & dono mihi.
Procerum fuisse liberos, vultus docet.

Cons. Videtur: oris indoles spirat genus.

Tya. Ex grege fuisse regio, nisi peierat,
Hic ipse plane deierat custos gregis.

Cons. Credibile narrat: puberes tales, merum
Miscere soliti, regiam mensam ambiunt.

Tya. Iuuenes in omni laude praestantes; pedū,
Iaculi, palestra, barbiti, linguae, manus.
Hos educaui à paruulis, & pro meis
Habitos amaui semper, & dixi meos.

Cons. Ut ipse taceas, multus, haud dubijs notis,
Eminet in ipsis auctor; in vultu sedet
Tyaneus ipse, mirus animorum artifex.

Tya. Vfus ad omnes, omnium gnaram artium,
Atque expolitam litteris pubem omnibus,
Graecis, latinis, barbaris, per te Duci,
Si fas, dicabo lucis acceptae memor.

Cons. Tyanee, quondam magna debentur tibi;

Mi-

Minora merito quaeris; id facile impetras.

Tya. Ars mira pubis (munus vt dignè queas
Ornare verbis) posse Saturnum grauem
Amoenitate frangere, & genio Iouis.
Cultura solers fecit, horarum omnium
Ingenium vt esset singulis, variū, elegans,
Fertile, iocosum, volucre, versutum, vafrū,
Petulans, sed aptè; ludicrum, sed non leue;
Grate facetum, suauiter moestum in loco,
Animis iuuandis facile, numerorū omniū.
Ad diluendas miseras natum scies.

Cons. Quid, si Deorum praedices clarum genus,
Tam multa narres?

Tya. Multa, sed vera eloquor.

Cons. Mercede tanta ciuitas vendi potest,
Exilia nedum longa donari reo.
Tyanee, iussam mitte meditari fugam.

Tya. Quin tute, Consul, indolem iuuenum vide.
Oculis obito corporum ductum, ac statū,
Flexusq. doctos ludrico in spectaculo.
Agite, Nigelli, specimen ingenij edite.
Simulacra pugnae, more gentili, chelys
Committat index; missus armorum sonus,
Et plausus aeris agmen ad numerum citet,
Infesta binis tela diducens choris.
Mox dubia turbet arma, delphinū modo,
Cum Libyca prono maria discursu secant.

Si

Si quando vestram poscit hic artem dies,
Verius, & vsquam vtilius absumi nequit.
Nam mos amico geritur, & digno velim
Placere; per quē placeo, si placeo, omnibus.

*Hic Paredri Pyrrhichen, ludicram ar-
morum pugnam, ad chelyn saltant.*

Par. Age, nigra quate cohors,
Quate cita pede solum.
Age grauis, age potens
Dea rege, Dea praei
Rata bella pubis atrae,
Fera corda quae laceffis.

Par. Miseri ficto ludere bello
Arma iubemur; quibus amisso
Orbe paterno (numinis iras
Disce seueri) semper amaros
Rumpere questus, semper acerbos
Nosse dolores datur. Exulibus
Licet hoc tantum, promere questum;
Nullo questu vincere luctus.

Par. Age, nigra quate cohors,
Quate cita pede solum.
Age grauis, age potens
Dea rege. Dea praei
Rata bella pubis atrae,
Fera corda quae laceffis.

Par. Miseri fictis cogimur armis

Pa-

Pascere visus: quibus, erepto
Iure serenae lucis, Olympus
Vetat aeternum cernere Solem,
Dedit aeternam cernere noctem.
Ede querelas, moesta iuuentus.
Tantum hoc miseris datur exulibus,
Pectora longo rumpere questu.

Par. Age, nigra quate cohors,

Quate cita pede *Ecce. ut supra.*

Par. Miseri, varium volumus agmen,
Ludere iussi; quibus abstractis
Aurea Patris scepra negantur.
Vbi verna die spirat amico
Aura Fauoni semper; & alma
Luce serenant prata colores.
Promete querelas, genus infelix,
Tantum hoc miseris licet exulibus.

Par. Age, nigra quate cohors,

Quate cita pede *Ecce. ut supra.*

Par. Genus ah quondam genus ah foelix,
Iuuenes saeuo sydere nati.
Qui dum temerè per prata vagi,
Urbe sub ipsa, bella ciemus,
(Aliud pugnae genus illud erat)
Procul à patrijs finibus acti,
Omne laborum genus experti,
Cogimur acres ferre dolores.

C

Age,

Par.

Age, nigra quate cohors,

Quate cita pede *Ec. ut supra.**Par.* Miseri iam tum caepimus esse,

Cum, sub primo limine lucis,

(Ducis ah furias) rapta secuti

Vexilla, gradus tulimus contra.

Nulla natum scelus ex causa

Querimur nullo minui luctu.

Alium ex alio visimus orbem:

Alium ex alio voluimus aestum.

Par.

Age, nigra quate cohors,

Quate cita pede *Ec. ut supra.**Par.* Flebile vulgus, male nata seges,

Erit en vnquam, fortis vt acres

Numinis iras tua damna leuent?

Nunquam miseris, nunquam dabitur

Alium vitae nosse tenorem:

Miseri fuimus, erimus miseri:

Nulla dolorem finiet aetas:

Dolor & nullas finiet iras.

Par.

Age, nigra quate cohors,

Quate cita pede *Ec. ut supra.**Conf.* Exilia Iuuenes flebiles plorant sua.

Exilia redimet ille ploratus tua.

Exul fuisti: municeps salus meus.

SCE-

SCENA QVARTA.

*Chorus ex puberibus Christianis duplex.**Cho. 1.* **H** Vc nos adire festus hortatur dies,
Ab Exquilina sede dimissos: mane:
Hic scepra paruis Flauijs Caesar dabit.*Cho. 2.* Hac sacra magnus verba condixit senex
Zebedacus Aede: casta quam visit Fides,
Et Pax, sororq. pacis, & mitis Pudor.*Cho. 1.* Haec tecta, foelix prole foelici, tenet
DOMITILLA mater: neptis hic CHRISTO
placet,DOMITILLA virgo: & vera si rumor ferit,
Huc remeat hodie Caesarum foelix parens
CLEMENS, decorae purpurae eternū decus.*Cho. 2.* Age dum, corollis impedi mecum caput,
Canora pubes: fume. si lactus dies
Arrisit orbi: Roma si, misso Ioue,
CHRISTI recepit fraena.*Cho. 1.* Ne viuam; nisi
Desipere casto gaudio nobis licet.*Cho. 2.* Audistis, Vrbe cantus vt tota sonat
Infanientum puberum? quantum Deum
Flamen Dialis iusserat, tantum canunt.

C 2

Por-

Cho. 1. Portenta rerum mille, Iunonem, Iouem,
Phoebum, Dianam, Liberum, Cererē, Palē.

Cho. 2. Quid non? Pauorē, Februum, Pestē, Dolū,
Iā nūc propitia numina, haec dū sic colūt.

Cho. 1. At nos tacemus Virginis castum genus
CHRISTVM, decorae lucis, & vitae ducē?
Qui tantus animos vrget oblitos stupor?

Cho. 2. Age: prouocemus impios cantus pio
Carmine, corollis paribus vmbrați comas.

Cho. 1. Quis scit, minores carmen an nostrū pie
Imitentur olim, seculi in ritum noui?

Cho. 2. Nescio quod olim seculum certe meus
Praesagit animus aureum; cū se DEVS,
Exsibilato Numinum infami grege,
Ostendet Orbi verus: & CHRISTO duce,
Terras habebit casta virtutum cohors.

Cho. 1. Auguror. amicē numen aduertit DEVS.
Meliora Mundo secla meliori precor.

Cho. 2. Ingredere ductor; nexiles flores manu
Inferē, canora voce dum nectis preces.

CHORVS.

Parodia ex Horatio.

CHRISTE, virtutumq. potens Virago,
Aureum Coeli decus, ò colendi,

Nu-

Nuper & culti; date quae precamur I

Tempore sacro.

Quod Sibyllini monuere versus,
Seculo festas referente luces,

Vos, quibus septem placuere colles

Dicere cantu;

Vere Sol, vultu nitido diem qui

Promis, & coelas, aliusq. & idem

Nasceris; malis nihil Vrbe Roma

Visere maius.

Rite spem terris aperire certam,

Lenis ò Virgo, Superū voluptas;

Siue tu maus hominum vocari

Sospita mater.

Diua, producas sobolem, Patrumq.

Prosperes ritu meliore curas.

Vxor & seruet thalamos feraces

Lege marita.

Certus vt denos decies per annos

Orbis à primo reuolutus, aris

Puberum cantus, referatq. sacrae

Frugis honorem.

Vosq. veraces cecinisse Vates,

Quod semel dia docuistis aura

Carmen, en seclis bona iam peractis

Pandite secla

Fertilis laudum, decorisq. tellus

C

3

Lau-

FLAVIAE TRAGOEDIAE

Laurea donet merita labores ;
Abluant mentes & aquae salubres ,
Lenis & aura .

Condito mitis, placidusq. telo ,
Supplices audi pueros , Trionum
Nobilis vindex Michaël, & aurei
Vltor Olympi .

Roma si, versis Solymis, coruscae
Arx erit dextrae memor , & tuarum
Magna pars laudum, triplicisq. sedes
Certa Tiarae .

Cui per vndosum sine fraude marmor
PETRVS, & sacris patrijs superstes
PAVLVS has nuper reserauit arces
Sospite cursu .

Vos probos mores docili iuuentae ;
Vos senectuti placidae quietem ;
Romulae genti date vos honestae
Lucis amores .

Quiq. vos centum veneratur aris
Iuris Antistes, decorisq. CLEMENS ,
Regnet in victos facilis ; superbos
Acer in hostes .

Auguror : triplex diadema Romae
Subditis Medus pharetris adorat :
Iam Scythae responsa petunt, reposti
Nuper & Indi .

Iam

ACTVS I. SCENA IV.


Iam Fides, & Pax, & Honos, Pudorq.
Priscus, & Coelo Pietas aperto
Visitur vulgò ; tumuitq. pleno
Gratia riuo .

Acer, & vultu roseo decorus
CHRISTVS, & clarae dominator Urbis,
Qui salutari leuat amne fessas
Crimine mentes .

Si Vaticanas videt aequus arces ,
Remq. Romanam, Latiumq. foelix ;
Alterum in lustrum meliore laudes
Proreget aeuo .

Quaeq. Auentinum tenet, Algidumq.
Quindecim Diana nefas virorum ,
Cedat ; & Virgo melior Latinas
Imbuat aras .

Haec Patrem sentire, DEIQ. Matrem
Spem bonam, certamq. domum reporto
Doctus & CHRISTI Chorus, & Parentis
Dicere laudes .




C 4 ACTVS

ACTVS SECVNDVS.

SCENA PRIMA.

Chorus. Flavius Clemens. Vespasianus minor. Domitianus minor, eius filij.

Cho.  Ideone reducem Flavium, patriae patrem, Aulae propinquum, proximum Augusto caput?

Cho. En illa rerum certa nostrarum fides.
Hic ille pacis auctor, hoc sydus togae
Clemens Latinae, fida Christiadum salus,
Firmamen Orbis, inclytum Regum genus.

Fl. Cl. Declive linquens mollis Vsticae latus,
Qua Fabaris humor, vitreo serpens vado,
Murmur volutat, faxeo clusus specu,
Adsum; propinqui Regis accitu redux.

Cho. Ad dona Regni dignus optari, redis.

Cho. Non fama mendax dona vulgavit Ducis.

Fl. Cl. Aliquod salutis pignus hic spondet dies.
Meos Sabinos, arduis sparfos iugis,
Et gelida Tempe patrij quondam soli,
Otia sereni ruris, & nulli loca

Per-

ACTVS II. SCENA I.

Peruia procellae, regna priuatae togae
Gustata post imperia plebeij laris,
Mutare iussus Dardanae Romanae iugis,
In spem reuoluor anxiam, & regni vices.

Cho. O te beatum! liberos tandem vides
Famulantis Orbis iura tractantes, Pater.

Cho. O nos beatos! sera qui quamuis, Deo
Auspice, videmus regna terrarum, pijs
Concessa natis, lege fraenari patris.

Cho. Tandem vocatus rebus afflictis adest
Numen benignum; respicit tandem suos.

Fl. Cl. Nuper quietis liberae tacitum sinum
Ut, abdicatis fascibus, cupide petij
Exconsul, omni mente complexus polum;
Quae mira visu caeteri rentur bona,
Vexata magnis sceptris miserabar malis.

Cho. Alta receptus arce securae domus
Melius, quod infra fluctuat, cernit, suum
Extra periculum positus, alieno dolens.

Fl. Cl. Mirabar acri Regna lacerari metu:
Exposita praedae dona fortunae rapi:
Vndare turmis vasta legionum sola:
Firmas, adactis machinis, vrbes quati:
Obliterari cladibus clades nouis:
De caede caedes, bella de bellis feri.

Cho. Quae vera narrat! decuit huic Regni dari,
Qui bella detestatur, & paci studet.

Alios,

Fl. Cl. Alios, auita sede contempta, procul
 Alio calentes Sole meditari plagas;
 Terra relicta, regna ventorum sequi;
 Exercitatas fluctibus Syrtes rate
 Obire fragili; belluas ficcis truces
 Oculis natantes cernere infidi maris;
 Arcere tabula mortis exili minas,
 Tenuemq. spem suspendere è rudentibus:
 Vt pauca purgamenta, nequaquam metu
 Quaerenda tanto pretia, concharum legant.
 Quo lana saniem varia Sidoniam bibat.
 Bis aere Tyrio merfa.

Cho. Terrarum pudor,
 Probrumq. tincta sceptris queis tabo placet.

Fl. Cl. Alte repostas itur in venas soli;
 Passim, regeis inferis, tellus hiat:
 Euerberati luce tabentes genas
 Manes, diei lumen insuetum pauent:
 Rimantur aurum, melius in terris situm,
 Ferrea quod aetas extrahit; nocentius
 Ferro, per usus splendidos peius furens.

Cho. Vt vnus auri gestet articulus notam,
 Quam multa teritur opere difficili manus!

Fl. Cl. Tum gema collum, gema distinguit caput;
 Gema sinistram, dexteram gemae grauant.
 Illusa conchis asperis squallet chlamys.
 Sordes adoptat puluis Erythraeas Arabs.

Au-

Aures rotundi murices lassas trahunt.
Cho. Quibus obsolescit animus, his corpus nitet.
Fl. Cl. Hinc iam labores cernere operosos licet.
 Statuuntur ecce, Regio sumptu, domus,
 Ingentis instar Urbis amplexae ambitum.
 Atria columnis fulta millenis sedent:
 Immane visu, celsa murorum minis
 Moles in auras arduum exertat caput.
 Exclusa iactis maria caementis, retro
 Abiere: pontus, sine contracto, breuis
 Densis natatur piscibus: ponto incubans
 Vndas opacat pensilis ruris nemus:
 Digesta laxis spatia porticibus, sequi
 (Per tot remensum retro responsus fugit
 Penetrabile sedis intimum) aspectus nequit.
 Variata saxo tecta Taenario, calent
 Strepitu clientum; turba famulantum terit
 Achate limen lubricum inuisae domus.
 Praetexta gemmis Aula, populorum capax,
 Explicat auara dona longinqui maris:
 Pictae lacunar aureum tollunt trabes:
 Certata paries bella Gangaridum indicat.
 Hic vel superbis splendet aulaeis nitor,
 Vel fila tendit varia belluatus labor,
 Seu quem Sophenae, siue quem Phryges trahunt.
 Elephante diues albicat secto torus:
 Elephante texto culmen auratum albicat:

Con-

Conchyliata veste pulvinar sacrum
 Geniale ridet: barbaro luxu domus
 Hilarescit omnis: spirat effigies Ducum
 Folle aut Lysippi ducta, vel caelo Scopae:
 Simulamen oris, arte quod mira faber
 Extudit. *Ch.* Ut, inter posteros prisci senes
 Positi, nepotum studia degenerum arguāt.

Fl. Cl. At tripode fuluo ponitur laetae gulae
 Fulgens supellex; cymbium, crater, scyphus,
 Patera, catinus, urceus, lebes, onyx,
 Lychnus, salinum, fuscinae, guttus, calix,
 Solium, paropsis, trulla, lanx. nugae merae.

Cho. Ridenda caecae dona Fortunae hic putat.
 Meliora forsan mente complexus tenet.

Fl. Cl. Tum citrea mensa pluribus surgit locis
 Sedes per amplas. Ilucet in mensis nitor
 Aureus; & usus qui sit argenti, memor
 Numerare custos nescit: è scripto docet.
 Quod apparatu quaeritur tanto bonum?
 Materia scelerum facilis.

Cho. E luxu potens
 Animi libido. *Ch.* Cordis excordis tumor.

Cho. Pressurus alios fastus. *Cho.* Effraenis furor.

Cho. Opulenta egestas, opibus in medijs inops.

Cho. Invidia vecors. *Cho.* Moeror ex aënis dolis
 Ambitio fallens semper invidiae comes.

Cho. Et illa mentis Helena deceptae procar,

De-

Decorū Charybdis, tetra populatrix opū,
 Legum sepulcrum turpe, virtutum rogos,
 Laudum Voluptas prodiga, & fraudū sinus.

Fl. Cl. Hoc fonte deriuata, vitiorum lues
 Omni recundat clade per populos vaga.

Aurum fititur impium; hoc pretio manus
 Ferrum laceffit, sanguinis gliscit fitis,
 Instigat auri sacra dum gentes famēs.

Armatur ecce classico audito phalanx,
 Ut spes in auro fulsit hostili leuis.

Viduantur Vrbes pube iuuenili, modo
 Nimum frequentes: vacua rarefcunt. *vij*
 Solata vacuis tecta: collapsae domus
 Sidūt in alto puluere, & dominos premūt.

Et quasi ruinis terra non pateat satis,
 Veliuola toruum bella sollicitant fretum.

Hic decolore caede coerulei maris
 Marmora rubescunt; classe lunata phalanx

Instructa, telum spargit, & quassa rate
 Insultat ardens; monstra saturantur dape

Squamea cruenta: caede pinguescit seges
 Inarata campis: horridis albeni agris

Disiecta latis ossa. Sic ferrum nocet,
 Dum petitur aurum.

Cho. Vtroque sic foetu, grauis
 Foecunda culpae secla, non tantum sibi
 Prodiga, sed etiam fluctibus, tellus parit.

Sc-

Fl. Cl. Scelus inquietae pacis effari piget.

Ultima malorum, maximū vitae probrum,
Quodlibet egestas suadet, & patrat nefas.

Cho. Nec minus inermis saeuit armato furor.

Fl. Cl. Lites auari ciuis exsurdant forum.

Hic lingua praepes verba diuendit reis,
Emptas & aures voce venali tenet.

Natis parentes, fratribus fratres, auis
Malum nepotes aliquod infensi creant:

Hospitibus hospes, ciuibus ciuis, viro
Vxor, sorori damna molitur soror.

Cho. Certatur æquo iure, certatur malo.

Fl. Cl. Liuor, beati liminis custos, pede

Timido per Aulas errat: adiunctus comes
Assiduus Angor rebus in laetis adest.

Pectore subeso Cura praetendit grauis
Inane frontis gaudium: gressu ardua,

Demissa vultu graditur Ambitio impotēs:
Osura, cui blanditur, Inuidia anteit.

Exposita Regum capita tot populis scias,
Quot assequuntur. Regna, nō Reges amāt.

Cū patuit aditus Regiae, cautus Dolus,
Odiumq. Regis intrat inuisi simul,

Tectumq. ferrum. rara foelicem fides
Comitatur: Aulam Veritas primam fugit.

Cho. Decus inuidendi nominis falso placet.

Fl. Cl. Gemma venenum bibitur; & pauci diem

Obie-

Obiere ficci morte matura Duces.

Ad Ditis vmbrastrita nobilium via

Capitum, per ipsa iura socialis tori,

Per foedus hospitale, per dulces dapes.

Quoties renatus submouet noctem dies,

Toties Tyrānus nascitur. nā quid moror,

Exempla promens? Caesarū specta genus.

Cho. Cui, quod recusat innocens hostis, nocens

Pyxis propinqui fecit, & mensae cliens.

Fl. Cl. Quid foeda memorem scelera, quae luxus
docet,

Quam blāda tam nefanda, Lernaeis magis

Ramosa monstris? crescit ex poena lues,

Ferroq. ab ipso pullulat foedum malum.

Luxuria, pestis blanda, nil sanctum putat;

Nihil impudicum: quidquid haec iussit,
decer.

Cho. Titulo sepulchri digna res: octo viros

Infamis vxor, quinque per messes, rogis

Denupta mittit: cūmq. tā saepe improbus

In nuptiales ardor existat faces,

Nūquam ad pudici pectoris mores redit.

Fl. Cl. Matrōna casta, rara: cui sudat Cilix,

Methymna spumat, nauigat Phoenix, arat

Aegyptus, ardet Colchis, Alpini gelant,

Meliboea textit, colligunt Seres, micat

Dubio Corinthus aere, depectit Lacon,

Pi.

Piscatur Indus, Noricum pascit pecus.

Cho. Numero beati damna seruitij docet.

Fl. Cl. Innuba maritae discit, & ridet probrum,

Iam matre peior, Virgo: maternis procis

Blanda renidet fronte, sed seruit suis.

Gradus per omnes errat aetatis calor.

Cho. Assidua nutrimenta cui dubiae dapes,

Et pressa praelis vna Lesbois dedit.

Cho. Nulloq. segnis iudice abruptus sopor.

Cho. Auriq. fulgor, & rigens gemmis labor.

Fl. Cl. Spectat puella matris effoetae nefas,

Longaeva patris probra condiscit, puer.

Iam marcet aetas fracta: iam sulcat genas

Putres senilis ruga: defectum riget

Sanguine cadauer: feruet in venis tamen,

(O pudor, & imis ossibus fixum nefas!)

Viua libido: cordis exulti vapor

In cinere viuit. Summe pro rerum fator

Proh prisca virtus! qd iuuat fas, aut nefas?

Quid iura profunt sacra consortis tori,

Si caecus ardor mentis ex animis fidem,

Numen, pudorem, iura pietatem fugat?

Quid expiata nuper insontis DEI

Profunt cruore secla, si nullum nefas

Oblita tellus praeterit? terrae quota

Abluta pars facinore deleta caret?

Colluuium scelerum varia, populorum lues,

Exem-

Exempla per tot pestis antiquae fluens,

In nos redundat. seculo vrgemur graui.

Quod te, per ipsa caedis oblatae precor

Diuina dona, lucis aeternae fator,

In nos amoris mitte septenum iubar.

Et, quos acerbae caedis absterfit liquor,

Ignibus honestis sanctus exurat calor.

Vt te, tuorum terra meritorum memor,

Vereatur olim melior, irriso Ioue,

Rex CHRISTE Regū, patriae mētis vigor.

Cho. Pignus beatæ pacis, optatae iubar

Geminum salutis, Flauiae sydus domus,

Munimen Aulae, Caesarum foelix genus,

Ad reducis ecce prodit aduentum patris.

Vesp. Nati parentem, Roma quem votis petit,

Remeasse saluum mente gratamur pia.

Fl. Cl. Facile probatis indolem notam patri:

Quam sustinete, o filij.

Dom. Vultus tuus

Desideratur rebus in laetis, Pater.

Fl. Cl. Nihil esse laetum constat in terris diu.

Vesp. Sunt ista, Genitor, vera, quae narras: tamen

Ad prima Romae vota gratari decet.

Dom. Commissa natis Aula te pridem vocat.

Vesp. Te frater, vltro regna partitus suis.

Fl. Cl. Partitus etiam cordis assiduos metus,

Curas edaces, sortis ancipites vices.

D

Re-

Vesp. Regnare, genitor, possumus patruī fide .

Fl. Cl. Qua regnat ipse .

Vesp. Munus haec faciet ratum .

Fl. Cl. Instabile regnum .

Dom. Maximum vitae decus .

Fl. Cl. At inquietum .

Dom. Parta quod fundat quies .

Fl. Cl. Armata semper .

Vesp. Arma, quae gentes tegunt ,
Tenuisse pulchrum est .

Fl. Cl. Bella , quae gentes pauent ,
Odisse praestat .

Vesp. Saepe sed pacem ferunt .

Fl. Cl. Saepius amorem caedis , & luctus graues ,
Et vastitates urbium , & Regum rogos .

Dom. Si tela iaceant, audeant quiduis mali .

Fl. Cl. Utinam iacerent : laederet nemo bonos ,

Vesp. Publica quiete causa priuata est prior .

Fl. Cl. Sit melior etiam : multa bellorum tamen
Vitia decori nominis specie latent .

Vesp. Male sustinentur regna , si friget manus .

Fl. Cl. Eadem obteruntur, caede si semper calēt .
Inuisa nemo sceptrā possedit diu .

Dom. Inuisa paucis , plurium virtus clepit .

Fl. Cl. Inuisa paucis creditis? quisquis bonum
Ait esse regnum, quisquis eximium putat,
Suum esse mauult . mira qui credit bona ,

Alic-

Aliena quaerit. Gentiū huic omnes greges
Adscribe numero . nemo foelicem vocat ,
Nisi comparatum : nemo foelici studet
Nisi comparandus. inuidet, quisquis cupit.
Hic ipse custos lateris, hic fidus globus,
Hoc affeclarum mentis examen piae ,
Ne nostra, vereor, saepius quā nos, amet.
Non, quae decora, tuta sunt semper : mihi
Credite; pericla splendidis verbis placent .

Dom. Ne fidat ergo quispiam cuiquam doces?

Fl. Cl. Pretiosa si sunt scelera, sic planè reor .

Proposita merces stimulat audaces manus.
Gratuita nulla est noxa, sit quamuis mala.
Aliquid petebat, cum quis inuasit nefas .
Exigite mecum dicta sic, Nati, mea .
Si pulchra sunt, & mira, quae circa locum
Vestrum renident ; ampla si vulgus canit ;
Stipata circum turba miratur stupens ,
Inhiatq. pulchris: fulgor attonitos trahit
Oculos, & animos : dulcis aspectus rapit.
Hinc iam cupido cordis accensi furit ,
Eodemq. partu liuor obliquus satus .
Nam quod decorū cupidus, & rarū vocat,
Idem assequēdum censet, & sperat statim .
Si falsa spes arrisit ; hoc ipsum , improbe
Quod expetendum credidit caecus furor ,
Mox inuidendum, cupidus vt frustra fuit ,

Animus sequētis censet, ex cupido inuidus.

Vesp. Praeclara verè, vera praeclarè exigis.

Dom. Quis deget igitur mente tranquilla, Pater,
Inuisa regna possidens?

Fl. Cl. Qui nec cupit,

Nec extimescit quidpiam; qui nec dolet,

Gaudetq. temere; sceptrum qui gestat, cito

Reddere paratus, iussit ut reddi DEVS;

Foelicitati fraena qui nouit suae

Inijcere, mentis rector; & voti potens

Nunquam reflantis extimet sortis minas.

Stat mole celsa reclusus, & certus sacri

Delibrat animi vota, securus cadant

Quo regna talo: laeua si pennas quatit,

Alijs datura dona, quae dudum dedit

Fortuna nobis: ille si, censu suo

Metitus, aequa mente despectat fugam

Aliò ferentis rapta meliori bona;

Non ora moeror, verba non mutat grauis

Spiritus ab alto ductus; haud vllae exedunt

Curae gementem, corde seclusae sacro.

Virtute quippe semet inuoluens sua,

Suo beatus, liberae mentis canit

Sapiens receptum rebus humanis prior.

Sin certa mansit; facile non animum tamen

Leuat insolentem cordis insani tumor,

Fastidientis si quis, obscuro lare

Edi-

Editus, aceruos spectat haud plures suis

Ardentis auri: premitur, & vultum regit

Ciues in omnes iuris aequati tenor:

Est animus idem, frontis est idem color:

Nil verba supra ciuium voces sonant.

O quam beatum est, sine praescripto sequi

Arbitria mentis integrae; rebus modum

Statuisse certum; nosse quae pulchri nota

Consilia foedis casta secerni queant;

Qui limes aequi; meta quae reclusi; duos

Quae ducta fines inter ad verum decus

Linea feratur; signa quae rebus suis

Sapiens inurat arbiter; seu quas fuga

Declinet vltro, siue quas vltro petat;

Tenuisse, quid sit omnium rerum Patri

Commune nobis: iure quam sancto coli

Iustitia foelix debeat; tum quid DEO,

Quid sit secundò patriae dandum piè;

Quae pars propinquos tãgat officij; quoto

Gradu receptus hospes humana in domo

Sit homine potior; ciuibus ciuis probè

Quid largiatur; pauperi quantum affluens

Emetiendum diues ex pleno putet;

Sibi quid amicus poscat; inimicus, sibi;

Iras in hostem quatenus fas sit geri;

Vt mitis hominum mater, humanum genus

Commendet homini lege primaeui patris

D 3

Na-

FLAVIAE TRAGOEDIAE

Natura, nomen publicum, nulli inuidens,
Beneuola, suavis, dapilis, constans, pia.
An simile quidquam regna Romulidum
dabunt?

Vesp. Romana regna quaeris an quidquã dabunt
Huic simile, quæso? melius hoc, Cœlũ nihil
Largitur homini.

Dom. Melior hoc ipse est DEVS.

Fl. Cl. Haec satis, ad aedes. Vxor, & neptis valët?
Satisnè saluae?

Dom. Prorsus ex animo fluunt
Omnia. *Vesp.* Quod optes, omnis hilarata
est domus;

Famulus, amicus, mater aduentu tuo.

Dom. Domitilla virgo, seruus, affinis, cliens.
Tuũ hoc cor esto, patre pro reduce, Pater.

SCENA SECVNDA.

Praefectus Urbis. Milites Prae-
toriani.

Praef. **A** Duerte mentem, Miles; auditu bona
Effabor. Hodie Flavios Iuuenes, sa-
crae
Stabilimen Aulae, dulce Romulidũ decus,
Imponit Orbi Caesar; vt lacerae rei
Com-

Componat artus. Vota terrarum omnium,
Cõmune Romae gaudium, plebes, Patres,
Equites sequuntur scilicet. studijs ouat
Populus Quirini; festa celebrantur Deũm
Delubra; sacris thura liquefiunt focis;
Ornatur altum Flaviae columen domus,
Vnde auspicari regna Vespasij solent.
Augustus ipse gestit, & tanto libens
Subducit humeros põderi: Augusto fauet,
Et rite votis Roma subscribit suis.
Nunc esse nostri muneris, Miles, reor,
Studijs adesse, vota populorum sequi,
Decreta Patrum, Regis imperium, nouae
Auspicia trabeae, Caesarũ geminũ iubar.
Cursu citato Miles è castris redit,
Qui claustra regni, limite infesso tenet;
Adest Atlantis terror, & Gangis metus;
Et, qui pruinas tolerat Arctoas, adest;
Et, qui Latinum perpeti cogit iugum
Babylonis arcem. sola Romanae togae
Cessat iuuentus? ite, quò cunctas opes
Fortuna vergit: Ite (quod vertat bene)
Quò iura Romae prima trãscribit DEVS.
Explete partes, partis assensu cito:
Officia sera, magna sint quamuis, iacent.
Lustretur agmen. Lustricum in morẽ, gradu
Iusto explicetur ordinum notis cohors

Adiuncta signis . discolor campū occupet
 Effusa legio . Signifer, pubem præi :
 Pubes sequatur antecedentem Ducem .
 Castris mouendis increpet notus canor ;
 Lituo remissa carmen elidat tuba .
Hic illustratur agmen Militum.

SCENA TERTIA.

*Domitianus Imperator . Flamen
 Dialis .*

Imp. **A** In? Latina sacra Iudaei expuunt ?
 Iugulentur, obruantur, incensi flagrēt.
 Tantosne Solymis spiritus versis gerit
 Recutita proles?

Flam. Alia Iudaeo seges
 Admista curto, nomen inseruit nouum
 Subnata veteri . Principem quendā crepat
 CHRISTVM, Pilato Iudice, exactum in
 Crucem .

Imp. Ridicula semper monstra Iordanis creat,
 Ne non Anubin Nilus Hortensem colat.

Flam. Imò, quod ipse Nilus explodat nefas,
 Illum, triumpho nobilem terno, canit
 Viuere subacta morte ; demissum neci
 Populasse Stygia regna ; Taenarium Ducē
 One-

Onerasse vinclis ; cassa vitali die
 Corpora, sepulcris, illius nutu, quoque
 Excita narrat ; deinde victorem polo
 Credula redonat : perq. Maiorum globos
 Spolijs opimum, Ditis exuijs grauem,
 Aëra secantem, pube glomeratum alite,
 Prosequitur, & reponit in sceptrū Patris,
 DEVMQ. Patrem iactat, & Natum DEVM,
 Aeternitate generis aequaeuum Patri .

Imp. Aures bibaces quidquid infundas bibunt.

Flam. Arcana restant. hætenus ferri potest
 Delirus error gentis, & caecus furor .

Imp. Est, quò probrosus error vltterius ruat ?

Flam. Est, Imperator .

Imp. Perge. non noui omnia.

Si semel Apella caepit, in praeceps abit,
 Vt sibi videtur fortis, & fato obuius .

Flam. Est Mysus hospes prodigè mendax domi,
 Sinone peior .

Imp. Nota Mysorum est fides .

Flam. Is sacra gentis, more gentili, colit,
 Aut colere simulat : callidè se se gregi
 Insinuat, ore praefereus sensum pij .
 Obstipa ceruix, moestus in vultu rigor,
 Infana labra, crinis impexus viro,
 Talare tegumen vestis, & furuus color :
 Dentes adesi turpiter scabro situ :

Caries aduncis vnguibus liuet nigra :

Is mihi reperta narrat, astutè impius .

Aurora postquam noctis humentem polo

Dimouit vmbra, iubare sub primo, sacrū

Initur. ater populus huc furtim affluit,

Numero timendus .

Imp. Infimae faecis reor .

Flam. Hæc fama fertur, vulgus hoc passim canit.

Errat . timore longiùs serpit nefas .

Nec plebe continetur immensum malum;

Sed clara iam per nomina è gurgustijs

Illustre facinus prodit; in maius palam

Exitium eundo crescit; vt quondam vides

Vndare flammæ, validus à tergo Notus

Si, cum reluxit semen occultae facis ,

Vortice sonanti incumbit in densū nemus.

Aut cum sonoro flumen illuuiem freto

Meditatur agris; vere seu primo trahens

Niuium rapinas; siue maioris vehens:

Humoris incrementa, iam ponto imminēs,

Iam se tributo turgidum vndarum extulit

Vndique coacto: gracilis ad fontis caput

Vix gramen vnda rorat exili breue .

Imp. Contage foedae labis expertes vacant

Proceres? an illos crimen infecit quoque?

Quid iste Mysus narrat?

Flam. Obscurè negat ,

Et

Et dubia mussans verba sub lingua mouet.

Imp. Seruile forsan vicit ingenium metus .

Flam. Aut empta pretio, Caesar, addubitat fides.

Imp. Sūt templa? sunt delubra? sunt Arae statae?

Qua sede foedis vulgus operatur sacris?

Flam. In Vrbe vasta quodlibet se se scelus

Impune iactat . Certa non illi domus,

Nec vna sedes vulgus innumerum rapit :

Passim per Urbem regnat. Exquiliæ ferunt

Caput esse gentis: ille Mystarum locus,

Haec statio certa: varius huc ordo fluit .

Vbi se pudendis imbui sacris PVDENS ,

Principe Nerone, passus; egregij notam

Generis recepit primus hospitij fide ,

Vt hospitalis iura violaret Iouis .

Imp. Audita memoras: notus ex vultu senex

Animo recurfat: huius instinctu senis

Olim Senator nominis primi PVDENS ,

Ex Orbe toto profuga Christiadam sacra

Intulit in Urbē primus, & Latio hoc malū

Inseuit vltro: dubia lanugo mihi

Signabat ora; flamma cum vento cita

Depasta primò proximos Circo lares;

Mox peruagata longius, quidquid nouem

Seclis cruento Marte sudauit labor ,

Pacata quidquid peperit Aeneadū manus ,

Absumpsit: imas tandē ad Exquiliæ stetit .

Et

Et hinc retortum, rursus exustis locis,
Late volumen pestis accensae sonat.

Haec inter, ipse tempus umbratus sacra
Vtrunque lauro, chlamyde stellata Nero, &
Sardonyche fulgens, sede conspecta editus,
Plectrum laceffit, Troicum excidium canes,
Vetusta damna ludicre assimulans nouis.
Vstae flagrabat Urbis inuidia Nero.
Emanat ecce rumor extemplo, senis
Illius esse crimen Aeneadum luem,
Haustasq. flammis Urbis ingentes opes.
Proinde noxam luere supplicio senem,
Et Vaticanum verticem caede imbui.
Haec fama vulgo sparserat. sed re Patres
Alio trahebant: improbe insanum Ducem,
Odio aestuantem Ciuium, ludo impio
Agitasse foedos patriae inuisae rogos.
Nunc vindicandae fraudis auerti notam,
Diffugia quaeri sceleris; Hebraei senis,
Sed immerentis, nomen obtendi Duci.
Ad reliqua perge: gentis arcanum sacrum
Expone.

Flam. Postquam coetus oppleuit domus
Penetrabile tacitum, Mystra praefatus DEI
Ex more honorem, latice lustrali abluit
Populum apprecantem. Sede sublimi simul
Instruitur Ara veste barbarica: vigil

Prae-

Praelucet ignis: Pallas in vitro natat,
Alimenta praebens. opere Musiuo locus
Variatur omnis: triste monumentum necis,
Veneratur auro plurimo accensam Crucem.
Et hinc & illinc arte dispositae micant,
Et Daedaleas nutriunt cerae faces.

At ipse quiddam immurmurans aevo grauis
Antistes, Arae rite succedit loco,
Vtrumque septus pube sacrificatae latus.
Praeratum Amictu linteo obnubit caput.
Dein Alba lino texili ad talos fluit,
Prolixa tunica; Fune quam torto statim
Adstans minister undique in nodum legit:
Vocant Manipulum, laeua quem nexum manus
Substricta gestat sericum; palmum breuis
Mensura superat operis: e collo Stola
Demissa pedet. opere tum phrygio Chlamys
Adaperta vtrunque, diuite iniectum super,
Exterior humeros, pectus interior tegit.
Spolijs referri vera simulatis putant,
Iniuriosas Principis quondam notas.
Hoc apparatu Mystra praefulgens, preces
Praeit, & fauere postulat linguas precum:
Exin susurro carmen arcano premens,
Concepta verba, voce submissa, breuem
Orbem sacratae Cereris ambabus tenens
Palmis, in ipsam emurmurat frugem prius:

Ja

In dona laticis deinde vitigeni incubans,
 Rata verba p̄mit: aureū post haec scyphū,
 Ut ante frugem, verticem elatum supra
 Tantisper adstans manibus ostentat sacris.
 Procul ore populus cernuus, nixus genu,
 Sublime rapta dona deuenerans, piē
 Suspectat, & clam vota praenarrat DEO.

Haec summa sacri: quippe vim quandā notis
 Praemurmuratis esse non dubiē autumant,
 Certam, efficacem, viuīdā, expressam, citā;
 Adeo vt sequacis numen eliciat DEI
 In sacra dona frugis, & vini illico,
 Modo rite perpetrarit Antistes sacrum.
 Non esse verba: sanguinem vino statim
 Subire, frugi corpus abeunti citum;
 Et esse eumpse sanguinem planē docent,
 Idem disertē corpus, & iustum quidem,
 Et vndequaue partibus plenum suis,
 Et explicatum, & arduo dignum viro,
 Quod ille quondam CHRISTVS, exhau-
 stus nece,

Gessisse fertur. Ille nunc ergo DEVS
 Homo ille mirus, ille bis natus, DEO
 Semel parente, matre mortali semel,
 Aeternus, & mortalis, & vitae parens,
 Et mortis vltor dictus; audiuit simul
 Arcana verba, fruge depulsa, simul

Infi-

Insinuat, astris lapsus, in frugis globum,
 Et in liquoris penetrat eiectionem locum.
 Imago facti viua, simulamen necis,
 Amoris irritamen, exemplum sui.
 Blanditur oculis, naribus, linguae color,
 Odor, saporq. panis, ac vini quidem;
 Vtrūque verē, quisquis haec credit, negat.
 Tegumenta tantum panis, & vini manent:
 Quae citima sensus hominis attingūt leui
 Specie, sed intus quiddam est, ipse est DEVS,
 Idē ille CHRISTVS, quātus aequa uo Patri
 Assidet, honesta luce praecinctus comas:
 Quantus rubente tela iaculatur manu,
 Et nube vectus terga ventorum premit,
 Sub orbe Cereris tantulo tantus latet.
 Hoc incruentae caedis exemplum, vocant
 Quondam cruentae caedis imitamen piū.
Imp. O sterile mentis vulgus! En quorū meus
 Hominū triumphū iactat egregiū Titus.
Flam. Ridenda, Caesar, sacra rideri putas?
 Immo haec colūtur, Caesar, haec gētes p̄bāt,
 Haec aemulatur Roma iam supplex palā.
 Non verba sunt, Auguste: despecto Ioue,
 In Vrbe CHRISTVS regnat: obscuro situ
 Tumulantur arae; victimæ nullae cadunt:
 Delubra valuis vacua referatis silent;
 Quantum Deorum foeminae Coelo Deae

Foc-

Foecunda partu Dyndime, Iuno, Venus,
Latona, Semele, Eleusa, Cyrene, Thetis
Peperere, perijt; vindicas ni tu scelus.

Imp. Omitte questus, ense cum stricto est opus.
Subtexe si quid restat, & cuncta edoce.

Flam. Ad haec (amici tantus est ardor DEI)
Post pauca verba Mysta, quae Caelo modo
Traxerat, honorem Caelitum libans, DEVM
Auidem latentem fruge sub gemina vorat
Attonitus, & se maior, & Diuo ebrius.

Imp. Satis id amice tamen: & haec populus videns
Ieiunus ipse patitur absumi DEVM?
Quid ille?

Flam. Saturo supplicans Mystae fauet,
Saturandus ipse postmodum.

Imp. Fare ocyus.

Epulum triumphi regium audiri placet.

Flam. Effertur ecce pyxis ex Ara capax:
Hac multa frugis frustra seruantur sacrae.
Prorepat humili populus affusus prece,
Inhiatq. anhelans ferculum diae dapis.
Orbem minore frugis hinc Mysta eximit:
Paulum moratus, pauca praefatur pie
De more verba. deinde progressus virum
Mediam in coronam prodigè parcus, breuem
Dispensat orbem in singulos foetum DEO:
Eundemq. CHRISTVM, millies mille orbibus

Vnum

Vnum latentem, diribet. tanta est fides.

Imp. Quo dona sensu vulgus haec amens capit?

Flam. Qualis Lyaeo Maenas accepto furit,
Nemorosa lustrans nocte sublustri iuga:
Catulis adeptis qualis ad Gangem fera
Virgata saeuit: stabula vel qualis Lea
Vexat Libyftis; talis ac maior rapit
Populum aestuantem, fruge libata, impetus.
Non ille famae damna, nox vitae pauet:
Tauros Berylli ridet: imperterritus
Intenta iugulo tela nudato excipit.
Votivocatur summa, pro CHRISTO mori.

Imp. Moriantur. istuc facile donari potest.
Satis est querelis: reliqua nunc melius meus
Mucro peroret. Nostra tu, fidum caput,
Exequere iussa. dira lanienae mala
Molire fortis: strenue exerce graues
Artes doloris vinculis, flammis, rotis,
Saeuis ferarum dentibus, lenta fame.
Exhausta soboles esse nunc demum suo
Discat periculo vindices Diuum Deos.
Imperia Regum soluit irrisor Deum:
Quicumque Superos laedit, & Reges simul.
Vis inquietae plebis a Diuis Ducibus
Deferere laesis discit. haud paruo stetit
Regibus, inulto scelere, contemptus DEVS.
Despecta pietas iura Regnorum obterit.

E

Hoc

Hoc nēpe Regnū cardine immotū fedet ;
Hoc dissoluto, strage cum Regum ruit .

Tu iussa propere sequere, quod flecti nequit,
Frāgatur, Æquor quicquid horrendi expuit,
Hercynia quicquid nemora truculēti creāt,
Quicquid Goastae, quicquid Heniochi pauēt,
Ingere. Procrustae lectuli, pinus Scinis,
Diomedis arae, squalor Augiae grauis,
Odrysia mensa, lenta Mezenti lues,
Collata nostris laeuia sint monstris mala .

Nunc patria sacra festus instauret dies .

Limine sub ipso, Seculi in morem noui ,

Preces virorū quindecim Phoebe audiat ,

Phoebus virorū quindecim accipiat p̄ces.

Epulentur aris, rite sternantur tori

Per templa Diuūm , quotquot Aenacadae

Deūm

Posuere memores, veteris exemplo Numæ.

Coelum vaporent thure succenso foci :

Et destinatas caede votiua inquinent

Aedes Clitumni victimae. sed vos penes

Istaec sacrorum cura, Pontifices, erit .

Vos alia, Ciues, cura sacrorum vocat.

Quòd iusta Romæ studia fortunet DEVS.

Auspicia Regni prima, quae multū, & diu

Animo voluto, Seculo laeti nouo

Studijs secundis (dona quae vertant benè)

Ex-

Excipite mecum: Flaviae numen domus,
Geminū, quietis pignus, & Regni obfides,
Meos nepotes, bina Clementis mei
Lumina, meorum vota Romulidum aurea.
Iā nūc Quirites quos amāt, cernāt Duces,
Vespasia geminos Aula quos foelix alit .
Exigite lucem ludicro . circi sonent ;
Theatra plaudant; puluerem primū legāt,
Circense munus, feruidaе cursu rotac :
Fictas tumentis laxet Euripo rates :
Moenibus Enyo clausa, nec vera minor,
Simulacra pugnae classe commissa ciens :
Arena Threces, Roscios Scenae dabunt .
Ipsi per Urbem, militum inuecti globis,
Iuuenes Quiritum vota sollicitent pia :
Mentisq. celsae regium ostentent iubar .
Praecipite nunc spem Principum, mox
Caesarum .

SCENA QVARTA.

Fl. Clemens. Vestasianus, & Domitianus Caesares. Domitilla maior. Domitilla minor. Nereus, & Archilleus. Virgines ancillae.

Fl. Cl. AT nos, recenti laeta dum lauro super
A Piè scelestā Roma gratatur Deis,

E

2

Di.

Diuerſa Templis ; caſta Chriſtiadū ſacra
Obire fas eſt. rite veneremur metum

CHRISTVM Deorum, Virginis magnae
genus,

Patrem ſalutis ſoſpitaē, & mundi Ducem,
Ad Exquilinae ſedis arcanam domum:

Vbi Rex Sacrorū maximus, triplici ſenex
Honore Regni clarus, Antiſtes DEI

CLEMENS, ad aras fruge coeleſti litat,
Humectus ora lacrymis, plenus DEO.

Praeite. noſtrae dona fortunae haec Seni,

Fuluo ex metallo vaſa diuinae rei,

Lychnos, acerras, vrceos, pateras, ſcyphos

Ducite. ſalute plurima verbis meis

Augete Patrem. vota pro Regni ſtatu

Narrate ad aras, mente qua caſtos decet.

Mox ego, vocantis Regis affatu breui

Perfunctus, adero: vota nūc abſens ſequor.

Tu, ſocia thalami fida, communis tori

Pignora dicabis Caefares pueros DEO.

Tu virginali, Virgo, comitatu preces

Proſequere: Achilleu, feminas deducito.

A me rogabis plurimum Romae Patrem,

Vt haec egenis flaua, quos dignos putet,

Diſpenſet aera. pauca ſunt; paucis tamen

Accellit animus diues, vt plura afferat.

Agmen mouete, Virgines; nulla eſt mora.

Vos

Vos ite mecum, Liberi, ad Romae Ducē.

Nereu reſiſte. CHRISTE, Rex Regū, faue.

Do. Ca. Roſas, recenti rore gemmatas adhuc,

Has ſume, Mater. plexile hinc fertū Cruci,

Monimentum amoris, rite redimiri volo.

Do. ma. Laudo pietatem. munus aetatem decet.

At cui dediſti corda?

Do. Ca. Cui, Mater? DEO.

Do. ma. Quid tibi reſeruas?

Do. Ca. Mater, vt ſpero, nihil.

Veſp. Domitilla, pacis oſculum verbis meis

Libabis inter ſacra; ſed pacem refer.

Do. mi. Quid ipſe reddes pacis acceptæ memor?

Veſp. Si regno; ſetis horridis tegmen rigens

Reddam, & flagella bina, delitias tuas.

Do. mi. Aſtute; pergis ludere? Ad Patrem cito.

Veſp. At inter ipſa ſacra ne, quaefo, genas

Corrumpe fletu. Riſit; at parcē, vt ſolet.

Verē haec beata: larga cui prona manu

Munera redonat prodigum numen ſui.

Do. mi. Textilia Templo dona mea ferri iubes,

Diſcreta filo, Mater?

Do. ma. En, rectē mones.

Huc mihi quaſillos, Virgines.

Do. mi. Flores vbi,

Opere variati ſerico?

Virgo. Hic ipſos vide.

E

3

Vbi

Do.ma. Vbi vestis arae, lucidis nuper mihi

Illusa gemmis?

Virgo. Cistula hac, Mater, fero.

Do.ma. Phrygij lacinias operis appendiculas,
Lilia repandis floribus, floccos rubros,
Caetera parerga subsuit? Vestem explica.

Do.mi. Quàm fontis vnda, dona tam nihil haec
olent.

Do.ma. Laticis odori rore spargantur leui.

Do.mi. Afferte nimbum.

Virgo. Nimbus in cista latet.

Do.ma. Quid reliqua dona?

Archil. Perge: prouisum est probè.
Praeite, pueri.

Do.ma. CHRISTE, nos, quaeso, bona
Salute serua: luce, qua castos soles,
Perfunde mètes, obsecro, & praesens ades.

Do.mi. Tu quoque secundo sequere nos, quae-
so, pede,

Matrona Coeli, Virgo, virtutum parens,
Specimen pudoris, Caelitum, atque homi-
num lepos.

SCE-

SCENA QVINTA.

*Apollonius Tyanens. Fuluius Valens
Consul.*

Tya. **Q**uid influenti subtrahis regno sinum?
Grata Deorū munus excipias manu.

Cons. Vt iure rupto sceptrum terrarum auferam?

Tya. Vt sceptrum gestes iure, quo Reges solent:

Vt lege regnes, lege, qua Romae licet:

Commune ius, cōmune fas rectè voces.

Ius imperandi publicum in medio iacet,

Positū occupātū: quod licet, Romae decet.

Cons. Commune ius protegere, ciuile est magis,
Quàm rapere.

Tya. Sed protegere, quod rapiat statim
Deterior alius, cuius ignaui est, reor.

Cons. Quisquam insolentem ciuium ciuē ferat?

Nouitate nostra Regij iuris decus

Respuitur: haeret capite priuato male

Inauspicati stemmatis princeps nota.

Tya. Id insolens, id Consul, appellas nouum,

Id inauspicatū? Roma quàm crebrò Ducū

Infesta pilis pila conuertit, duas

Sequuta partes? deinde victricis manu

Vltro recepit fraena, potiori obsequens.

E 4 Ne

Ne prisca fando dona Gracchorū sequar ;
 Ne faeva Cinnae Regna, ne Syllae iugum,
 Pharsalia, bis cruore Romano tepens,
 Quid Consularem deceat ostendit Ducē.
 En ille princeps, publicae obfessor Rei,
 Ex Ciue Diuus, Caesarum Caesar parens,
 Alpibus apertis, Marte ciuili grauis,
 Genero subactō, sceptrā possedit ~~locer~~
 Dein patris hāeres, melior Augustus patre,
 Aquilam recepit militum: vindex patris,
 Brutoque, Cassioque, Sextoque obrutis,
 Augusta princeps decora gestauit togae.
 Exin Canopi regna, prostrata ferox
 Aegyptiorum classe, vastauit manu.
 Et, qua Iugurtha captus incessit via,
 Hāc victor egit laurea fulgens rotas:
 Admota mammis Aspīs ex vero Ducem
 Ornat triumpho nobilem Mareotico.
 Hinc longus ordo Caesarum; hinc haeres
 Nero
 Vltimus, & idem pessimus, Galbae seni
 Et Galba Othoni lāpadem Imperij dedit.
 Othone peior Aulus, & victo senex
 Vespasius Aulo, vate me, regnum occupat.
 Titus parenti, Domitius frater Tito,
 Nec fratre melior, patre nec potior, subit.
 Is nunc superbè, Caesarum supra modum,
 Ani-

Animae tumentis spiritū impurū efferens,
 Patriam iacentem calcāt; & templis Deus
 Amat vocari: patre Vespasio satus,
 Se genere tanto, scelere gratuito, abdicat:
 Virgine Minerua genitus, incesto Iouis,
 Audire mauult. Roma quid possit pati
 Tentat, iubendo thura, mentiti patris
 Fulmine coruscus. Sceptra sic sordent Du-
 cum:
 Tam vile nomen generis humani putat.
 Odium Deorum turpe, populorum metus
 Incedit aras inter; & Coelo imminet,
 Ritu Gigantum. Longa Mystrarum trahit
 Agmina, per Urbem celsus, inuisum gerens
 Diadema regni. stemma, radiatum trium
 Signis Deorum, capitis ambiti tegit
 Vitium, recaluae frontis & raram comam.
 Hunc Roma Regem patitur? O nullo scelus
 Credibile in aeuo! pateris hunc, Consul,
 Ducem,
 Quem dirus ardor caedis, & foedi vapor
 Impurus ignis vexat; instinctu fero
 Rabide ruentem, caeca quā caecum rapit
 Tumidi ira cordis, peior atque ira Venus?
 Dij melius ista: prole qui nulla virum
 Hostem Deorum munerant: orbi Ducis
 Collapsa rident Regna; nec victi prece
 Pi-

Pignore labantem sustinent Aulam patris .

Ergo propinquum fratris asciscit genus ,

Vt orbitatem fulciat viduae domus .

Ridiculus. Aulæ Caesares binos parat ,

Quae pellet vnū. Regna nō capiunt duos.

Conf. At flore primo vernat Augustum decus

Iuuenum duorum: Roma pubentem indolē

Amplexa, mores patris in natis amat;

Vitæq. nulla labe transmissi dies

In spem Quirites maximā attollunt senes .

Tya. Memini Neronem Claudiū, memini trucē

Ipsū hunc Neronē Flaviū, Romæ Duces

Haud abnuendos, vota numeroſe omnium

Expleſſe primo limine in regni rudes ,

Nec dum paratos frangere alienos toros ,

Nondum cruentos : foeda dein morū lues

Corrupit ambos. Prima cū pubes viget ,

Cūm floret æui sanguis integri recens,

Tum prima feruent gaudia, & regni graue

Non mole tota pondus ignaros premit ;

Reges amantur, munere ætatis placent .

Vt caepit ætas ire , deterior subit

Conditio regni : prima vanescit cito

Ætate virtus læta : fortuitum bonum,

Eadem & caducum, forma iuuenilis fugit:

Hic prima læguent gaudia; & fessos Duces

Regnum fatigat mole iam tota incubans .

Exem-

Exempla dæceant irritæ euentum ſpei ,

Quā forma præfert Regis, aut ætas rudis.

Conf. Hic certa ſpes eſt .

Tya. Certa , quæ nondum dedit

Matura baccam? certa, quæ primum negat

Caduca florem? certa, quæ dubia tumet

Blandita fronde? certa, quā ſpondent duo ?

Vix vnus vni credit, ita nulla eſt fides :

Credam duobus? Roma vix vnum feret .

Quin ipſe Regna fortis inuade ocuus ;

Et te bonorum ſinge muneribus parem,

Quæ certa ſpondet chorea ſtellarum tibi ,

Et fixus ordo temporum, & Coeli cyclas .

An ſine Deorum munere id factū putas ,

Latijs quòd annum faſcibus Conſul notas,

Cum ſeculari tempus elapſu volat ,

Et Aula Regem vacuā meliorem petit ?

Cūm dubia nutāt regna, quòd pòdus trahāt,

Et exterarum gentium variat fides ?

Cūm feſſa duro Roma dominatu gemit ,

Et magna Diuū ſpreta maietas labat ?

Te feſſa poſcit Aula meliorem Ducem;

Te dubia Regem ſceptra terrarum vocant;

Tibi ſe reſeruat exteræ gentis fides ;

In te recumbit feſſa Dardanidum ſalus;

Tu iura Diuū ſpreta tutari potes .

Conf. Heu rapior: & quò nescio, ſed quā ſcio :

In-

Incertus animi, certus arbitrij, aestuo.
 Regni hinc cupido, laudis hinc veræ calor
 Vtroque pronum turbine ambiguo rapit.
 Sic pinus aestus inter in dubio mari
 Luctatur anceps, regna cum ponti tenent
 Congressus Euro Zephyrus, Aquiloni No-
 tus.

Eloquere, Marte vindicem regni decus,
 An fraude? fraudis Marte spectatū pudet.

Tya. Vtrūque pulchrū est, aequa cū factō subest
 Vtrique causa: dexteram fortem tamen
 Accinge bello: fraude nunc nulla est opus,
 Cū fluctuatur Regia, & dono Deūm
 In te Latinus ora conuersus refert,
 Aquilaeq. lapsus decidit gremiū in tuum.
 Praesidia Regni fida tu pubem prior
 Praeuerte: Iuuenes Caesares vltro cadent.

Conf. Tyaneæ cedo; tu vide me quò voces.
 Ego te fidelem rebus in magnis Ducem
 Expertus aliàs, sponte praeuntem sequor.
 Austro vocanti vela te pandam Duce.
 Tu flecte clauum Rector.

Tya. Aspiciat DEVS
 Bene cogitata: perge non dubio gradu.
 Ast ego Nigellos hosce (quod munus DEVS
 Male vertat illi) pauca praemoneo; vt sui
 Obire partes muneris doctè sciant,

Cum,

Cum, te iubente, Regis aspectum petent.
 In re tuā prospicitur, hi quidquid mouēt.

SCENA SEXTA.

*Apollonius Tyaneus. Paredri. S. Ioan-
 nes Apostolus. Discipuli.*

Tya. **A** Bijt: secundo labitur Zephyro ratis.
 Haec lingua mendax vicit; in tutum
 mea

Odia recepi: crimen in portu natat.
 Tantisper hostis viuit, & laetus meo
 Squallore regnat? omnis in vultu est nouū
 Sceleris imago: verba sed dentur tamen
 Vltima dolori: regnet; at regnet mihi.
 Nunc vos, doloso nigra flagitio cohors
 Allecta blandum fraudis illicium meae,
 Animis adeste. faeva si caedis sitis,
 Si vos adussit tristis inuidiae vapor;
 Estote macti: foedus hic vestros dies
 Sedabit aestus; vlla si sedant tamen
 Excidia vestras sceleris aeterni faces.
 Ferus hic Mineruae filius, crimen Iouis,
 Regum Tyrānus, laureae Anchisae potēs,
 At segne terrae pondus, est vester scio;
 Quē rapite vobis; rapere vos meritū decet.

Nu-

Numeros adulti sceleris hic omnes habet,
Inexpiandae labis immerfus luto :

Me melior vno . caeterum eneruis, leuis
Iners, inane mentis humanae caput .

Cur fruge terrae vescitur stolide ferox?

Rapiatur: hostis noster est: causae est satis,
Quod me superbè vexat; & vestrū, & dolis

Terras adortum perdere, & vobis parem
Scādere parantem scelere communi polū .

Si videor Erebo dignus, & doctum scelus

Si peius astris, peius & terris obest ;

Abripite monstrum segne, iactura eit leuis.

An nihil ad omne crimen accensum iuuat

Habere pectus, scelere consulto ? nihil

Sociasse vobis cuncta perdendi fidem ?

Sed sit, dolentis cura Tyanei leuis :

Quid? summa rerū causa vestrarū est leuis ?

Nihil Deorum templa, nil Arae valent ,

Nil lapsa Ditis regna, nil vacuum Chaos ?

At, nisi cauemus, stolidus hic cuncta eruet.

En, ille tradit fraena terrarum quibus ,

Futilis , inepto scelere dumtaxat ferox .

Quos optat Aulae Caesares ? castos duos

CLEMENTE patre, matre DOMITILLA fa-
tos ,

Hostes Deorū , puberes CHRISTO sacros,

Quā male tuetur, Regiae trabeae allegit.

Igi-

Igitur in Vrbe Martia, pulso Ioue,

CHRISTVS triumphet? Iura bellorum, &
togae

Metus ille vester, ille vastator Stygis,

DEVS ille dictus, Orbe lustrato, reget?

Hoc columen Orbis inclytum, has omnes
opes,

Haec ampla regna, Dite pdomito, obtinet.

Hac arce fixus ille, quid deinceps rei

Emoliat, quempiam credo latet?

Igitur reducta gentium pietas placet?

Vobis adempto, sancta virtutum cohors

Orbi redibit? purius Coeli faces

Posthac micabunt? laeta pax, castū genus

Terras tenebit, scelere superato, pias?

Obtrita Diuū signa, templorum situs,

Arae incruentae, vester ex vero dolor,

Superū triumphus tertius demū placet?

Heu bis subacti, Ditis aeternus pudor!

Haerere terris nescit eiectus polo .

En quò duorum Caesarum castus pudor,

(Nisi distinetis patruī eneruis nefas)

En quò parētum studia, quò, dono Ducis,

Commune CHRISTO Romulum euadet
decus .

Quin vos in Aulā irrumpite ; & primi ocyus

Praeripite fraudē temporis: stolidū caput

Ser-

Servate fraudi; sceleris incoepti truces
Exigite poenas : patris inuisi genus,
Et decora castae pacis emolimini.

Differte monstris pectus impuri Ducis:
Lacerate somnos cordis infani aestibus.

Diripite curas . Alius è Stygijs rogis
Raptas in ora fontis impingat faces,
Rabidamq. dirae caedis inflammet sitim:
Alius pauore territum, & tota vagum
Aula, reposcat conscium; & poenis Ducē
Exagitet instans, viperis tortis sonans.
Caetera tenetis . ite .

Par. Quis subitus mihi
Quatit horror ossa?

Par. Nam quis insinuat pauor?

Par. Quid hoc? timorē miscet an maior DEVS?

Par. Miscet profecto; sentio certe DEVM
Adeste. *Par.* Vindex numinis virtus adest.

Tya. Quo dubia titubas nigra cōspectu cohors?

Par. Diffugite, socij, petite longinquas citi
Latebras. *Par.* Perimus.

Tya. Fare, qui terror nouus
Exanimat agmen? magnus est, quando hi
pauent.

Par. Fulmineus ille terror, & doctrinae apex,
Zebedaeia quondam iunior proles adest.

Par. Asiae hic magister; vna bisseui gregis,
Quae

Quae nūc superstes, vera Christi adū patet
Cortina rebus; acer eloquio senex;
Praecipua quondam cura mortali DEO.

Tya. Vnde hic repente prodit? O factum male!
Nil potuit importunius, victi sumus.
Romae Ioannes ergo, Tyaneo inscio?
Pudet fateri; pectus huic soli sapit.
Solum hūc timere quippe Tyaneus solet:
Examen, aedem Consulis nostri subi.
Hinc aucupabor verba: praestantis viri
Vix sustinere lumen, & numen queo.

Disc. Aliquem Cerinthus miscet insanus metū?
Ioan. Nihil hinc timemus; strenue hic fractus
iacet:

Indocile veri pectus effodi stylo.

Disc. Expone nobis ordinem pugnae, Pater,
Si quid iuuare cognitus mentes potest.

Ioan. Ordine volumē cūcta distinctè hoc docet.
Hostis superbe pertinax, CHRISTVM,
DEVM

Negat Cerinthus: lucidum Coeli decus
Discerpit ergo, generis aeterni immemor.

Disc. Qua fronte? *Ioan.* Quam protriuit.

Disc. Humanum supra
Modū corusca dextra nil hominē mouet?
Mapale fulgens luce nocturna nihil?
Nil vagientis paruuli cunabula,

Tepefacta pecudum anhelitu? Coelū nihil,
Syderis amici iubare vulgatum nouo?

Nihil tributa Gangis, & Regum ambitu,

Testata DIVVM thure Nabathaeo plaga?

Nil dissolutus Alitum in choreas polus?

Nil alia centum signa non dubij DEI?

IOAN. Haec si mouerent, saperet: insanè furit.

Ne tātus ergo in posterū erumpat furor,

Libata leuiter caeteris, plenè haurio

Arcana Verbi. Matris ingressi genus

Alij, vetustum semen ex alto petunt,

Et in his morantur: Ille, quae morti ob-

iacens

Exhaustit vltro, Patris imperio obsequens.

Superius ipse exorsus, aeterna indico

Principia generis. quippe de DEO DEVS,

De Mente Verbum, Patris exemplū, Patri

Par erat, & aequi Numinis Numen potēs.

Nondum serena luce stellatos globos

Tornarat auctor; Orbis aut molē in duos

Librarat axes; multiplex nondum poli

Verti volumen iusserat; nondum fuga

Tēporis obibat siderum ad numerū dies:

Secretus astris Ignis ambitum supra

Aëra rubebat nullus: aut infra faces

Fluitabat aër subdito leuior freto;

Non picta bruti riserat species soli;

Cum

Cum Mentis haeres patriae, viuo è Patre,

Viuum refulsit specimen aeterni boni,

Candor decorae lucis, vbertas DEI,

Copia paterni pectoris, Verbum Patris,

Filius, Imago. Mente foecunda emicans,

Virtutis aeuo, & numine aequalis Patri,

Aeternitatem continens summi boni.

Exterior, atque inferior est Mundi nitor,

Immanè quantò! lege, qua iussit faber.

Posterior illo temporis volueris fluit

Ad iussa Coeli spatia decliuis rota.

Molitor operis ergo cum varij Pater

In membra Mundi certa secreuit Chaos,

Descriptor operis adfuit Natus Patri,

Certasq. certis rebus adscripsit vices.

Nec sine Parente Natus, aut Nato Parens

Quidquam, quod extet vsquam, rerum ex-

tudit.

Nec, opere ficto, subtrahit se se DEVS:

Adest, & aequa lege, constanti fide,

Cum Mente Verbū temperat mundi vices.

Et vitae in ipso ratio diuinæ viget,

Ipsumq. Vita, & Lucis est semen suae,

Et Lux in ipso, luce quod cuncta irrigat.

Nec nox in illo est vlla, nec vitae vices,

Quem lucis almae tegit inaccessus dies.

Hoc igitur alnum Numen, hunc foetū DEI,

F 2

Sine

Sine matre quondam Patre foelici editū,
Ne quem Cerinthus ducat in fraudem im-
pius,

A capite magnae prolis expedio genus;
Expertus olim lucis ingenuae bonum,
Cum Patris ille iussa suprema exequens,
Iam noster, & sub carne mortali DEVS,
Vtriusque foedus generis aeternū dedit.
Haec ipse testor, ipse tractavi haec manus;
Numinis amici haec vsus alloquio sequor.
Nam simile Patri specimen affatu dabat,
Qui simile Patri specimen aspectu gerit.
Nunc ite, Socij: cura vos alia huc tulit.

Disc. Quae te, exigentē pulchra, seposita in domo
Paulisper vsus temporis furto breui,
Et prouidentē plurima humanū in genus,
Et consulentem posteris doctē, vt soles,
Huc rursus egit causa festinum, Pater?

Ioan. Reditus amici, causa properandi fuit,
Animusq. gratus, quaeq. CLEMENTI meo
Officia tempus quaerit, & reddo libens.
Suo ex Sabino, Regis accitu, virum
Remeasse Romam, & fama sermonis meas
Afflauit aures, redditae & dudum mihi
Notae fideles affore hic illum monent.
Venisse saluum; regna Romanae rei
Cessisse paruis Flauijs; laetum diem,

Et

Et prima pacis signa gratari decet.

Cho. Num forma visus falsa frustratur meos?
Asiae salutem cernitis, Coelo vagam
Aquilam, ministrum fulminis, castū senem?

Cho. Est ipse: reducis petite conspectum Patris:
Adeste, Ciues: aureum ò verè diem!

Quàm multa Coeli cōgruunt in nos bona!

Ioan. Haec quae, corollis nexa, nos pubes petēs?
Et vnde prodit, signa laetitiae efferens?

Disc. Nostra haec iuuentus.

Ioan. Nostra. de vultu docet

Genus esse sanctum, placida Christiadum
indoles.

Cho. O Pater, & ò Magister.

Cho. O morum artifex.

Cho. O dulce vitae sidus. *Cho.* O salue, Pater.

Ioan. Vobis abundè dona diuina affluant,
Pueri: Latini generis effigiem en vide.
Sudore proles digna non nostro haec erat?

Cho. Erat profecto: quando nil cuiquam negas.

Ioan. Dicite, Quirites nobiles, votum meum,
Mei laboris palma, fidereum genus,
Quae res profusam flore praecinxit comā?
Non ille, credo, ritus, & cultus leuis,
Redeunte Seclo Roma quem Diuis nouat.

Cho. Non, Pater; vt illos fulmen extinguat tuū,
Velut ante PAULI fulmē, & fulmē PETRI.

F 3

Quae

Ioan. Quae causa flauas igitur ornauit comas ?

Cho. Fortuna nostri laeta CLEMENTIS, Pater.

Non ergo nosti sceptrum Romani Ducis
Dedisse patrum Flauijs ?

Tya. Nondum dedit.

Quaedam est amico vtriusq. à Tyaneo mora,
Dum decora capitis apparat, regni infulas.

Ioan. Noui: quid ergo ?

Cho. Pace quod CHRISTI frui

Post hac licebit, pacis insigne indui.

Tya. Ne nimis inepto gaudio pecces, vide.

Adibo: magnum strenuè excipiam senem.

Quid, anime, cessas ? perge, cur segnis stu-
pes ?

Asiae magister, sceleris extinctor, Pater

Inuictes; salue: iura Dardaniae rei

Regia redire Coelitum CHRISTO Duci

Gratulor, & Orbis Seculum vere nouum.

Ioan. Quis tu ?

Tya. Nisi notus oris aspectus redit,

Non fama saltem nominis nostri admonet?

Tyaneus hic est.

Ioan. Ille contemptor DEI;

Tyaneus hostis ille virtutum omnium ?

Insigne verò columen, ò salue, rei.

Tya. Nos ergo nosti ?

Ioan. Pessimum noui quidem.

Hominem cruentum, perfidum, impurum, leuem,

Varium, tumentem scelere, periurum, efferum,

Infame monstrum, generis humani luem,

Legum Charybdim, vorticem laudum, rogum

Decorum, baratrum criminum, Euripum doli,

Syrtim, procellam, turbinem, pestem, scelus.

Tya. Viris at ista parcus, quaeso, senex.

Ioan. Parcus ? at omnes attigi nondum tuas

Laudes: tuarum capita virtutum haec erant.

Abi. *Tya.* Superbè sceptrum gestatis nimis.

Ioan. Nimis es ineptus ipse, sceleratum caput.

Abi nefande. *Tya.* Mitior certè fuit.

In me Tyrannus: exuli donat diem.

Durè. *Ioan.* Cadauer criminum non hinc
abis ?

Tya. Abeo. Sed aliquot exsules, comites fugae,

Opperior. ante lucis occasum scies:

Vel forsan illos antecedentes sequar.

Ioan. Aliquid cruetae vultur hic praedae videt,

Sortitus oculis vulnus. haud sanè placet.

Iuuenes caute: sceleris hic palmam gerit.

Tya. Si pote, cauebunt.

Ioan. Perge: non semper scelus

Foelix sequetur. instat à tergo DEVS.

Vindicta non est sera, quae tandem venit.

Quae poena lentè graditur, haud leuiter
ruit.

At tu salutis auctor, & patriae potens
 Regnator aulae; cuius ad nutum citae
 Veniunt procellae; fulmen excussum pauēt
 Vtriusque Solis distitae longe plagae;
 Extolle tandem signa virtutis, precor:
 Ordire mundo Seculum verè nouum.
 Redire terris audeat per te decor:
 Per te reductus regnet in terris amor.
 Oenotria CLEMENS regna moderetur
 parens.

Nunc: alius olim, stēmatis triplicis potens.
 Sed vos secundo carmine ingentes DEI
 Geminata laudes, Puberes: mundi Ducem
 Efferte cantu.

Cho. Virginem dici licet?

Ioan. Quidni licebit siderum incinctu caput
 Dici serenum, & Sole discinto sinus
 Vndique fluentes, subditam & Lunae facē?

C H O R V S

Christianorum duplex.

Cho. 1. **D** iue, Rex vitae, domitorq. mortis,
 Cui caput flauum radiata circum,
 Pacis obsistit nota sempiternae,
 Discolor Iris:

Vir-

Cho. 2. Virgo, dux pacis, genitrixq. lucis,
 Cuius in gyrum duodena frontem
 Astra tranquillat, releguntq. pura
 Cyclade flammās:

Cho. 1. Tu Patris Magni soboles, & haeres
 Mentis aeternae, simili decore
 Ducis exemplum Patris, & perenne
 Numinis aeuum.

Cho. 2. Tu (licet Natus, melior secunda
 Matre, supremos superet nitores)
 Proximos Nato tamen occupasti,
 Mater, honores.

Cho. 1. Te nihil maius, potiusq. pectus
 Patris immensum generat: sed aequat,
 Cordis expirans vtriusque vires,
 Flamen Amoris.

Cho. 2. Te nihil terrae peperere, Virgo,
 Pulchrius, quondam parientque: quamuis
 Gentium mores referant in aurum
 Secula priscum.

Cho. 1. Diue, si faeuos cohibes Tyrannos,
 Mente si mundum moderaris aequa,
 Regna CLEMENTIS, geminumq. fratrum
 Stemma secundes.

Cho. 2. Virgo, seu gaudes Iuuenum pudore,
 Innubae gaudes face seu Sororis,
 Caesarum castas propiore lauros

Nu-

Numine serua .

Cho. 1. Cùm tibi centum statuent per Urbem
Templa, cùm Diuùm simulacra fortes
Surda turbabunt; generis pudici

Regna probabis .

Cho. 2. Laeta tunc centum memores ad aras
Virginum primas , Iuuenesq. lectos
Saepe spectabis tibi, Filioq .

Promere laudes .

ACTVS TERTIVS.

SCENA PRIMA.

Praefectus cum Militibus .

Praef.



Antumne segnem, Miles, elabi
diem

Pateris ? decebat Principum
Iuuenum, & Patris

Imperia placidi, ludicro bello exsequi .

Nudentur enses: paribus in binas phalanx

Discedat acies frontibus : flexu cito

Perplexa telis tela confertis micent :

Dubiumq. fulgens pugna Maendrũ rotet .

Quo

Quo more defes otium irritat ferox ,

Cum Marte lento cessat in castris, cohors.

*Descriptus armorum Maeander à Mi-
litibus hic datur .*

Praef. In lenta Romae vota prolusum est satis :
Conuerte, Miles, arma quò Caesar vocat .

SCENA SECVNDA.

Antistius Vetus, Consul.

Ant. **P** Assim fatiscens imbre perpetuo via
Exhausta tandem est ; Consul & ma-
gnae suus

Succellit Vrbi. Rite veneremur Iouem

Reduces ad aram, & Sospitis signũ DEI .

Huc thuris affer masculi donum, puer .

Rector Deorum Sospes, hoc aequa, precor,

Aduerte munus mente, quod gratus fero .

Ad Regis aedem, lictor, hinc gressus refer .

Haud molle dictu carmen effabor Duci .

Iam grauiã sunt, quae volucris emisit Dea

Oracla, nigro templa quae luco tenet,

Decliuẽ quã supina subducit iuga

Praeneste campis, Caeculi & dubiã domũ;

Horrida, cruenta, dira, memoratu aspera

Sunt, quae silenti Diua respondet specu.

Ante

Ante hac quotannis pecore votiuo Dea
Placata, laeto reddidit sortes sono.

Annū hunc pauendū Romulae genti canit:
Sed, quod pauetur, sorte perplexa latet.

Nescio quid instet, quidquid est, Orbi est
graue.

Obtestor: Vrbi timeo; sed Mundo magis.

Mundo labores vltimi, credo, imminent.

Oppressa tellus scelere diuturno labat.

Quicumque rerum fraena moliris DEVS

In melius oro, verte, quae caeco tument

Portēta partu. Columen hoc terrae aspice:

Mundi vacillat dubia defessi salus,

Cūm Roma titubat: Orbis est Urbis labor.

SCENA TERTIA.

*Apollonius Tyaneus . Fuluius
Consul .*

Tya. **M**editata, Consul, perage; nec segnem
diem

Patiaris ire; Diua momento fugit,

Quae tarda venit, lubricae insitens rotae.

Auxilia pubis occupa: regnes modo,

Largire, praensa, falle, mentire, obsecra.

Omnia licere crede, dum regnum petis,

Cui

Cui mox licebunt cuncta, cūm regnū geres.

Munus Deorum maximum regnum scias.

Nunc hos Ephebos Domitio duci iube.

Caetera sequetur. *Cens.* Milites, sectamini.

SCENA QUARTA.

*Flavius Clemens. S. Ioannes. Vespasianus,
& Domitianus Caesares. Consiliarij.*

Fl. Cl. **S**uperis amicum, & proximum Coelo
caput,

Certumq. Asylum rebus incertis, Pater,

Fieri periculum Caesarum tandem placet,

Ad scepra ne mox afferant dextras rudes?

Vesp. Per me licebit.

Dom. Nulla, Pater, in me mora est.

Ioan. Effare, Domiti, Regna quis recte gerit?

Dom. Qui regere motus pectoris nouit truces.

Vesp. Qui regere semet didicit.

Ioan. In regno putas

Quid esse primum?

Vesp. Regis aeterni metum.

Dom. At ego pudorem rebar, & castam fidem.

Ioan. Vtrumque verè dicitur: nam cui fides

Intra-

Intacta cordi est, numen is verè timet.
Et, quem refracnat Regis aeterni metus,
In hoc pudoris suavis elucet color.

Vesp. Non limes aliquis ista disiungit, Pater?

Ioan. Disiungit. at, quae confluunt tandem, bene
Confluere dicās. summa nunc rerū sequor
Sermone primo: reliqua sectentur scholae.
Tu quid decorū Regiū, Domiti, autumas?

Dom. Per multa nosse.

Ioan. Sanctius quiddam velim.

Vesp. Per multa facere.

Ioan. Rectius. Verum. *Consil.* Pater,
Si fas, disertè dicta distingui iube.
Fortassis aliquid melius ex his audies.

Ioan. A capite rursus ista. Quid Regem decet?

Dom. Per multa nosse.

Ioan. Vocis ambiguae genus
Discerne, fodes. multa conuoluis, puer,
Qui multa dicis.

Dom. Forfan erravi, Pater.

Tamen hoc volebā. Turpis est omnis, reor;
Stultitia, Regi maxime, & rerum omnium
Ignarus animus: quippe, quē multi timent,
Et multa certo regere consilio decet,
Nescire quidquam dedecet. Non sit meum
Errare, multis praetulit si me DEVS.

Demendus animo fixus est multis dolor:
Mul-

Multis leuandus angor, & falsus timor;
Est dedocendus error: & motus feri

Animi premendus, cordis & caeci tumor:

Suadenda lex est mentis, & vitae decor:

Laudanda virtus: mortis obeundae locus

Monstrandus etiam. Verba ne tuto volent

Irrita, decebat ante lustrasse omnia,

Quae dubia dictu, certa, quae suasu forēt,

Quae grata demum cognitu.

Ioan. Nondum tamen

Doces diserte, multa quae, Domiti, voces.

Dom. Fingitur Vlysses exteras vrbes vagus

Adiisse multas; gentium mores catus

Lustrasse varios: pulchra quae scitu forent

Animo notasse: cumq. crepuissent tubae,

Virumq. bello poscerent, tum quae vagus

Didicisset ante verba, consilium, manum

Retulisse in vsum bellicū: mox quae togae

Tempora requirent iura, iustitiam, fidem

Tribuisse paci.

Vesp. Limites tangis meos:
Id multa, Domiti, facere, nō nosse est. vide.

Dom. Non hic facete lautus est Caesar, Pater?

Ergo supinam, quaeso, virtutem mihi

Placuisse censes, Vespasi? Reges volo,

Notitiam in actum prouocēt: Virtus iners

Paulum sepultae dilatat, vt Pater hic docet.

Qui

Qui multa norunt, multa fecerunt probè.
 Iunguntur ista fine, ni fallor, breui.
 Fingitur Achilles ille, Troiugenū metus,
 Doctiq. Vlyffe fortior. clypeo is gerit
 Vtriusque laudes temporis, belli, & togae.
 Creditur Homero fictus Heroi color;
 Priuata vitae decora nec Regi negat
 Publica gerenti. Stellifer Coeli labor
 Induitur illi dexteræ, quae Pergama
 Recidiua quassarsense quae Phrygias obit
 Acies micantis; regna quae fundo eruit
 Pollentis Asiae; quiq. prostrato ferox
 Corpore sonantes onerat Hectoreo rotas.

Consil. Vtrum ista laudas, Vespasi?

Vesp. Et valde quidem.

Ioan. Subscribis igitur huic tuam sententiam?

Vesp. Subscribo sanè, facere si nosse est, Pater,
 Et verba bina discrepant vocis sono,
 Adnexa rerum copula.

Ioan. Quid ad haec, puer?

Dom. Memini, quod ipse dixeras: non haec scho-
 la est;

Sermone summo prima sectamur, Pater:

Retrusa praeterimus; haec Graeci docent.

Vesp. Qui nouit ergo fecit? ò rerum fidem!

Dom. Qui fecit ergo nouit? ò nexum rei!

Vesp. Non ista, Caesar, dixeram.

Di-

Dom. Dixti quidem,
 Terigisse qui me limites dixti tuos.
 Mi Caesar, ecquid mentior?

Vesp. Non tu quidem.
 Sed, quos vocabam limites, fines erant.
 Vltior illa est regio, quam dico meam:
 Tu prima tangis.

Dom. Vespasi, non haec schola est.
 Tu semper ipsam pellis hanc chordam ta-
 men.

Vesp. Sit docta tantum lingua, quid Regē iuuat?

Dom. Sit saeua tantum dextra, quid tandē valet?

Vesp. Mens, destituta viribus, segnis iacet.

Dom. Vis mentis expers, mole succumbit sua.

Vesp. Vi bellicosa regna seruantur diu.

Dom. Vis temperata mentis auxilio viget.

Vesp. At bellicosos milites omnes timent.

Dom. At temperatos milites omnes amant.

Vesp. Fortior, agendis rebus est aptus magis.

Dom. Doctior, agentem viribus mēte adiuuat.

Vesp. Non est gerendae commodus doctus rei.

Dom. Est, si gerentis temperet fortis manum.

Ioan. Satis ista, pueri: nullus est pugnae modus.

Quid fortitudo est, Vespasi?

Vesp. Virtus rei

Fortiter agenda, mentis vt ratio monet.

Ioan. Quē temperatū nomines, Domiti, edoce.

G

Om-

Dom. Omnia gerentem mentis auxilio, vt decet.

Ioan. Vterque vires mentis adiungit sibi:

Hic scepra forti, scepra sapienti hic da-
ret:

Vterque verè; ratio si fortem docet,

Vel si docentem dextra rationem iuuat.

Id quoque doceto, Vespasi: forti praeest

Regina quaedam ratio, quae dextrâ regat?

Vesp. Praeest, & illam Regis aurigam voco.

Ioan. Laudo: quid ipse? viribus fortis negas

An contineri regna?

Dom. Non equidem, Pater.

Ioan. Re conuenitis igitur: ac mirè quidem,

Fortem esse Regem vultis, & doctû, reor.

Dom. Sie mihi videtur.

Vesp. Esse non aliter potest.

Ioan. Quin igitur haec sic ponitis? Regē decet,

Vi temperata cuncta consilio aggredi.

At illa rerum domina, virtutum parens,

Regina pacis, aequa bellorum fides

Iustitia, cur praeterita, quae prima est, ta-
cet?

Domiti, quid hæres? Vespasi, quid cogitas?

Vesp. Non tacet; at illam strenui primam petât.

Dom. Non, Pater; at illa prima sapienti placet.

Qui cuncta nouit, iusta non nescit, puto.

Vesp. Qui cuncta seruant, aequa nō perdēt manu.

Sed

Ioan. Sed multa, Domiti, nōsse, q̄ pulchrū putat,

Aliò feretur auis, quàm quò voles.

Quae multa dicis?

Dom. Vtui quae sint Duci;

Iniusta, iusta; vera, falsa; turpia,

Honestas; tū quae dedecent, & quae decēt;

Profana, sacra; humana, diuina, infera;

Peregrina, nostra; regia, & ciuilia.

Quicumque nescit ista, dominari nequit.

Ioan. Ambigit, opinor, aliquid hīc Caesar meus.

Ecquid requiris, Vespasi?

Vesp. Haud quidquam. *Ioan.* Tamen?

Vesp. Quiddam verebar, nescio an prudens satis,

Ne multa quaerens, multa dimittā manu;

Si quando volucer animus in multas vias

Ad multa rerum genera dilapsus, statim

Arescat: vber fontis vt quondam latex,

Quem multa multis vena deduxit vijs.

Vt multa discat, multa rimari volet:

Labore tandem fractus in multis iacet.

Humana mens finitur angustè nimis;

Diuisa curis mentis hebetatur cito

Acies sciendi multa: quam pernix amor

In mille rerum capita dispergit vagam.

Dom. Ideo monemur, NE Quid in vita nimis:

Hæc hausta, nō exhausta prudenter velim.

Est ratio vera, quatenus tendit gradum.

G 2 Du-

Ducatur ardens animas Auctoris manu .
 Sit, qui reprendat incitum temere impetū:
 Sit qui reflectat turbidè effusum retro .
 Arripiat aequa, vera discernat, sibi
 Imperet, & illa multa non multum velit ;
 Vtilia, quàm iucunda, potiora aestimans.
 Quaedam recuset; differat quaedã in locū:
 Haec summa libet; illa ne libet quidem .
 Ad haec reffectus reuolet, hinc fessus volet:
 Momenta captet; tempore vtatur suo :
 Cura recenti semper hoc spatium voret:
 Nunquam serena pace desuescat frui .

Ioan. Hoc erat, auebam nosse quod de te, puer:
 Da, quibus amica pace non cessem frui.

Dom. Adeo ne videor impudens quaeso, Pater ;
 Vt disputare haec audeam coram sene ,
 Puer, audiente maximo ? *Vesp.* Nō est ita.
 Sed hic rogamur, Caesar ; & cautè prius
 Tentamur, an cum fraena Romanae rei
 Flectemur, illis simus vsuri, vt decet.

Si Barbarorum sceptrā, non Romae geras ;
 Si tibi Tiaram Croesus, aut Cyrus daret ;
 Si Parthus Aulam offerret Arfacidū tibi ,
 Praesidia placidae mentis oblitus, manu
 Rem gerere possis. Alia Romanae togae
 Conditio, Caesar; alius est Regni labor .
 Mansueta vita, mite Romanum est genus .

Ci-

Ciuis Tyrannum, mitis immitem ferat?

Dom. At ista, ne me nescias, non dum, Pater,
 Satis vt decebat, animus aduertit meus.
 Ex hoc requiras potius .

Vesp. Hoc vero optimum .

Quasi cuncta potius nosse cōsuerim, Pater,

Fl. Cl. Quin ipse laetae pacis elementa edoce .
 Expone, quaeso: Caesares pueri, Pater,
 Imis reponunt sensibus, quae tu doces .

Ioan. Principia reuoco. fare, quid dixti modo
 Primum esse Regi ?

Vesp. Regis aeterni metum .

Ioan. Est aliquid istuc, Caesar, ad rem quā volo.
 Quid tu? *Dom.* Pudorem dixeram, & ca-
 stam fidem .

Ioan. Hinc quid sequatur assequi nondū potes ?
 Vbi vis ? acumen illud vbi, Caesar, tuum?

Vesp. Nunc video, quorsū quæstio euadat, Pater,
 Hoc nempe nostris effici ex dictis, ais ;
 Certa fruetur pace, qui Numen timet.

Dom. Bonis fruetur pacis ingenuus pudor .

Vesp. Nullum timebit, qui metuit vnum piè.

Dom. Nullaq. vi laedetur illa esus decor .

Vesp. Timida ferūtur sceptrā, quae florēt manu.

Dom. Diu vige bunt regna, quae castus geret .

Vesp. Erit ille victor, corda cui vallat metus.

Dom. Erit ille foelix, corda cui placat pudor.

G 3 San-

Vesp. Sanctè timentem gloria clarat DEVS .

Dom. Sanctè pudicum numen in Coelo locat.

Vesp. Ut dextra ferro, corda sic pollent metu.

Dom. Ut gemma frontè, corda sic ornat pudor .

Vesp. Ut vitis vlmò, sic Duci decori est timor.

Dom. Ut platanus horto , sic pudor decori est
Duci .

Vesp. Ut flore rident prata, sic pavidus DEO.

Dom. Ut riuus herbam, sic alit castum pudor .

Vesp. DEVM timenti regna fortunat DEVS .

Dom. Idem pudicum laetus ex alto videt.

Vesp. Tunc me negem timere, cùm nihil pudet .

Dom. Tunc me negem pudere, cùm timeo nihil.

Vesp. Timor pudorem sepit, vt spinæ rosam .

Dom. Pudor timorem pingit, vt flores color.

Vesp. Ut decorat aurum stēma, sic Reges pudor.

Dom. Ut decorat aurum bacca, sic Reges timor.

Vesp. Pudore nullo laeditur castus pudor .

Dom. Timore nullo vincitur sanctus timor.

Vesp. Iucunda cordis regna circumdat pudor.

Dom. Beata pacis regna defendit metus .

Ioan. Doctè & disertè. Vertite huc mētē quoq; ,

Et, vnde placidae mentis erumpat quies ,

Audite . quiddam, Filij, maius sono :

Ipsius altum pacis euoluo caput .

Ad se reductus animus, vt planè sui

Sit Imperator ipse, nec, victus metu

De-

Dedecoris, vllam colligat labem pudor;

Vt regnet, vt sit pacis inuictae potens ;

In se moretur, laudis, & vitae arbiter

Acri timore septus: hìc figat pedem.

Exinde victor animus, hinc iacto gradu ,

Ad astra surgat, infimo insistens globo .

Et iam nouenis medius ordinibus poli ,

Acies oberret, luce iam laetus noua .

Propius reuisat, vnde digressus gerat

Mortale corpus . ipse vitalis diu

Temperet an artus hospes , an Dominus
regat .

Vt euolarit, liber hospitij fidem

Ad tempus aliquod deserat: lapsi cinis

Corporis an olim luce recalescat, sui

Animi regressu, carnis inductu nouae.

Mox, ad tribunal vltimum , humanū genus

Vndique coactum, secla generatim paret

Reddere, recepto spiritu, iussu tubae,

Tumulis reclusis funerum, quotquot tulit

Primæuus orbis, quotquot extremus fer et.

Quid sit, quod Orbi præsidet, quē nos DEVM

Dicimus: at ipse notus est tantum sibi ,

Vtriusque Mundi, lucis & laetae faber ,

Et seculorum ductor, & vitae fator ,

Vber, beatus, praepotens, verax, bonus,

Concretionis, generis, exorsus, loci

G

4

Im-

Immunis, expers finis, & nunquam fluens,
 Nunquam recurrens: iubaris aeterni rotã
 Cõplexus omnẽ: Nomẽ amplexus triplex,
 Fertile sereni Numinis, grauidum DEO,
 Genitoris almi, Proles ingenuae, Halitus
 Ambobus aequi: sũma mēs, summè bonus.
 Ter optimus, ter maximus, ter praepotēs,
 Indictus, indepreñsus, insuperabilis.
 Scilicet id animum labis expertem iuuat,
 Hoc auget, & colorat, hoc vere beat.
 In id redimus, libera elapsi fuga,
 Vbi nos honestae lucis afflauit lepos.
 Haec summa voti nẽpe. Quãm melli est pijs
 Accessse propius fontis immensi caput!
 Nec diuagari languida arentes siti
 Ad riuulorum venulas! O quãm libet,
 Et quãm decet, per astra prouectum sui
 Initia generis nosse! simulacrum DEI
 Vt mox reponat pristinã in laudẽ DEVS,
 Forma resecta, luce respersum noua.
 Exin, resumpto spiritu summi Patris,
 Hausisse specimen indolis dignum Patre;
 Et nolle prorsus, nolle quod Patrem sciat;
 Et velle rursus, velle quod nouit Patrem;
 Habitare secum: posse fortuitas opes
 Despicerẽ vulgo: velle rationem sequi:
 Praeripere fraudi spõte materiam malae:

Par-

Partes in omnes laudis explicita fide
 Diuidere curas: seque non ciuem loci
 Vnius esse, moenibus circumdatum
 Meminisse Mundi: quidquid humani vspiã
 Aeuum sub astris agit, vnius Patris
 Sobolem putare. Rarus angustas cliens
 Aedes frequentat scilicet; nemo interim
 Limen superbi postis excubitor tenet;
 Non ebore thalamus, lapide non Pario
 domus
 Inopis refulget diuitis. Sed non timet,
 Sed non timetur cultor, & Superum & sui:
 Sed tuta pax concelebrat exiguos lares,
 Rebusq. paruis vera praestatur fides.
 Nisi construuntur regio sumptu dapes;
 Si non tributa gentium abdomen vorat,
 Nec classe iusta pretia piscatur maris;
 Si non palatum Lesbij irritant scyphi,
 Nec Chia fumant gemmeo in carchesio;
 Si nec Lacenae purpurae splendent domi;
 Si nulla, sericum redorditus globum,
 Stamina Lacaenis doctior vermibus trahit;
 Si nullus ultra Bactrios fines ager
 Colitur; nec vnda Nilus aestiua tumens
 Irrigua late culta fertiliter lauit:
 At castus animus regnat in casta domo,
 Exire velox optimi ad nutum Patris:

Secu-

Secura nullos aestimat casus. quies :
 Longe tumultus exulant, rixae tacent :
 Custos decoris corda submittit timor :
 Tranquillitatem sanctitas mitis fouet :
 Pietas pudorem vera, pietatem pudor
 Tenax, & aequi iura custodit fides.
 Immane Regnum est, posse pauperiē pati.

Vesp. Animis sedebunt ista, quae laudas, Pater ;
 Mansura semper, spiritus donec reget
 Mortale corpus .

Dom. Ante cardinibus polus
 Geminis reuulsus, ante fluitabit vago
 Aëre refixa sedibus tellus suis ;
 Quam docta dicta tempus euellat rapax
 Obliuiosis sensibus .

Vesp. Nullo metu,
 Terrore nullo victus abolebo fidem,
 Sententiarum degener : non si minax
 Nudetur ensis vndique, & variè meis
 Oculis oberret plurimus caedis pavor .

Dom. Infestus armis omnis addensis licet
 Coniuret Orbis, quiq. nascentem diem ,
 Quiq. morientem cernit, & gelidi nouem
 Qui Tanais ora soluit in Scythicū mare ,
 Et qui propinquis sudat exustus rotis .

Vesp. Congesta rursus dona Lydorum Indicis
 Cumulentur auri, quicquid in lucem refert

For-

Formica Dardis ; quidq. Hesperium nemus
 Blanditur ; Ammon quidquid, aut Phoenix
 legit ,

Aut fabuloso Caspij coelant specu ;
 Nullo labascam praemio, fretus DEO.

Dom. Licet cateruis ripa Thermodontijs,
 Perosa sexum, seruiat sceptris meis ;
 Licet secures Parthus Albanas colat,
 Cydarimq. Cyri laurus Aeneadū premat ;
 Croesi aut Tiara splendida cingat comas ;
 Nullo labascam praemio, fretus DEO .

Fl. Cl. Ut vos (amicum numen!) agnosco meos,
 Agnosco gentis indolem, agnosco DEVM .
 Quales fuistis, estis : & tales fore
 Vos spero, & opto, o filij optatissimi,
 O cariores luce vitali mihi .

Ioan. Nunc tu, salutis obses, & sospes DEVS ,
 Bis genite, viuum Patris exemplū optimi ,
 Et Matre melior optima: virtutum apex,
 Syncera vitae vena, largitor boni ,
 Fundator almae pacis, & ductor Ducum ;
 Tu nos, egenos lucis, ignaros viae ,
 Per dubia vitae, turbinum per tot metus
 Dirige, decori iubaris auspiciū efferens.
 Tu studia, tu consilia, quo pacto soles,
 Tu vota nostra pmoue in maius, precor .

SCE.

SCENA QUINTA.

Nuncius.

V Bi sum? Satis ne vigilo? num video
fatis?

Viuus ne vidi, quaeso, quae vidi modo?
Proh, summe rector Coelitem, quanto dies
Die videtur doctior! nulli semel
Omnia patefcunt: aliquid obscurū prior
Dies reliquit; cumq. posterior subit,
Quod erat relictum, lucis in aprico locat.
Quae monstra vidi? Nuper, vt Regis pauēs
Tyaneus aedes adiit, & prona Duci
Ceruice, supplex munus egregium dedit,
Pretiumq. dixit muneri Consul nigro;
Mitem recepit illico sensum trucidis
Animus Tyranni: cordis erasus tumor
Abiit: renidens, exsulem moestum bono
Esse iubet animo: mutet exsilio domum
Proinde posthac, Regis adscitus gregi.
Hic ille, dono celsus, & plenus spei,
Portenta rerum mille nigrantem iubet
Edere cohortem. Citius hic dicto cohors
Pollice canorae verba sollicitat chelys.
Ad verba saltus, aeris ad saltum sonus

Re-

Responfat ictus vocis, armorum, pedum.
Dein literata pugna, modulatu cita,
Ingenia mira pubis exercet nigrae,
Numero rotunda verba deuoluens sono.
Dircaea tantus, voce grandiloqua, senex
Carmina citabat: tantus Ogygio minor
Daunius: vtroque plenior tantus modos
Smyrnaeus ales Urbibus septem dabat.
Aut, grauior illo, bella Mantous canor
Latina voluens. Pubis eloquium citae
Subitum Tyrannus ipse miratur stupens:
Attonitus haeret allidet quisquis Duci.
An, quos ad Aedes Caesar acciri iubet,
Adesse cerno Flauios? Romae Duces
Saluete. Rector Orbis, & natos tuos,
Et te requirit, Caesarum felix pater.
Quid hos recenti laurea ornari vetat?
Non fulgor Augustalis aptatur notae?
Diuite paratu trabea non humeris fluit?
Induite cultus Regios. ipse hoc iubet.
Proh quanta Romae Coelitem insinuant
bona!

Auditis? aeris raucus increpuit canor.
En ipse Caesar prodit: hinc secedite.

SCE-

SCENA SEXTA.

Flavius, Flamen Augustalis . Apollonius Tyaneus.

Flav. **G**ratulare supplex . dona respexit tua
Castae Mineruae filius, semen Iouis.

Tya. Humilis ne, quaeso, dona seruitij? O bonū,
O mite numen, semen ò vere Iouis .

At destinatas victimas nondum dedi .

Quid si dedisē? Roma, quos Diuos paris!

Flam. Dare thura cessas? ante non Adytis tibi
Responsa Vates reddet instinctus Deo .

Tya. Date thura palmis, citius an quenquam
colam

Fumo Deorum? Pallidis castum genus
Haec pauca nunc; mox munus exoluā reus
Maius, hecatombe. Numen ò felix ades .

Flam. Oracla pando, pectus affluit Deus.
Ipse ego Sacerdos numinis fortē eloquor.

Dimitte curas exul . euictus prece
Remuneratur supplicem dono Deus,
Dominusq. noster : nectaris succos bibes
Allectus Aulae; mitte moliri fugam.

Tya. Ponti secabunt caerulos fluctus aues;
Squāmea volabūt mōstra Delphinū prius;

Et

Et Vesta pisces, Tethys & fruges dabit;
Quām fixus animo numinis tanti metus
Effluat; honorq. corde decedat meo .

SCENA SEPTIMA.

*Domitianus Imperator. Flamen Dia-
lis. Antistius Vetus, Consul.
Apollonius Tyaneus.*

Imp. **S**acrare Diuis, patris Antistes Iouis,
Respōsa p̄me, fata quae Romae canat.
Longaeva Vates: effer & caecos metus.

Flam. Sit mihi reposti carminis sortem, precor,
Vulgasse tutum. dira sunt, fatu horrida,
Vrgent Quirites monstra quae fessos diu .
Nec ira Diuūm iusta decedet prius,
Quām, Caesar, Aulā victimis lustres sacrā.
Nescio quid illa parturit magnū, ac ferū .
Fauidica certē Regiae Vates timet .

„ Fessa diu scelerum, foedos auerte tumultus,
„ Regia : decedet cedentibus ira Deorum .

Imp. Voces tenentur fortis ambiguae; licet,
Vt mos Sibyllae, carmen occultet metus.
Tu quoque doceto fata, quae nobis timet
Mobilis in annum Diua, quae versat rotā.

Ex-

Expone, quamuis horrida, Antisti, efferas.
Ad haec vocavi pectus ad dubia haud
rude.

Antist. Itinere vario flexa superata est via.

Aspreta saxo pendula, & celso iugo
Imposita vidi tecta, quae vasto triplex
Coluisse fertur corpore, & multo ferox
Sparfisse tabo, stratus Euandri manu
Herilus: nec illum Matris aeternū genus,
Nec arma, triplici terna quae nato dedit
Mouenda Mater, Arcadis ferro eximunt.

Præneſte densis frondet ilicibus nemus,

Incaeduaeque seculis multis comae:

Nox propria luco, & dira religio loci
Attonita primo corda perstringit metu:

Crinis rigescit. ossa percurrit gelu.

Posthaec recessu panditur longo specus.

Hic tacita sedes, volucris hic numē Deae.

Penetrale diues rupe praerupta filex

Praemunit: vnda silice scatebroso sonat

Inclusa: raucum murmur ex imo specu

Frangitur: & vber vndique erumpit latex.

Dirupta venis lymphæ diuersis coit,

Tandemque pigro stagnat in luco palus

Maculosa, pecudum caede multarū rubra.

Hic rite supplex thura congeit focis:

Et vota Diuae dona suspendi tholo.

Ma-

Maetatur Arae candidum tergo pecus,
Cum pronus vndas peteret occiduas dies.

Strato soporem praeses in tergo petit:

Et volucre numen corde sopito accipit.

Vt nox abacta est, pectus insanum tumet,

Oculi relucent Vatis, horrescunt comae.

Pauesco referens. Subitus ingeminat fra-
gor

E sede tacita, sibilat motum nemus.

Excita latè terra sub pedibus micat,

Nec dubia Diuae signa praesentis dedit.

Hic ora Vates, numinis nondum potens,

In hos futuri praescia exsoluit sonos.

Non prius infensi mitescet Numinis ira,

Candida nec moestae ridebunt sydera Romae;

Quam scelerum foecūda dabit verruca ruborē

Sanguinis, & pronam defundet Aquarius vrnā.

Quam minime reris, maetatu victima diro

Dardaniae reddet, Ductor Romane, salutem.

Haec fatus ora pressit, excussa est Dea.

Imp. Responsa dira cecinit implexis modis.

Incertus haeret animus. ancipites metus

Ambage nexos tacitus euoluens. pauor,

Variumque pectus carmen ambiguū trahit.

Cū quid timetur, animus id secū mouet,

Aut falsus, aut praesagus, aut certe pauens.

Tyane, tu qui syderum nosti vices,

Qui dubia nosti fata; quem nunquā latent

H

Ar-

Arcana Diuim; lingua cui volucrum lo-
quax,

Trifidumq. fulmen paret obliqua face;

Tu verba dubia sorte perplexa explica.

Tya. Per sacra pacem Numinum exquiri iube,
Quae sola monstrant Caelitum, & pla-
cant minas.

Depulsus agnus matris vberibus cadat
Laniger ad aras, graminis primi memor:
Vespasius Aulae Flamen operetur sacris:
Flamen Dialis adfit, & caecae hostiae
Consulat Aruspex exta: concepta prece
Caesar praebis. Ipse, praetentum caput
Velatus, Augur fortis expediam exitus.
Delubra Sospitalis ornentur Patris,
Qui cuncta nutu regna terrarum mouet.

Imp. Nihil hinc retractes, turba Mystrarū: pecus
Admoueat arae rite succintus Popa:
Libetur Aris. ipse concipiam preces.
Nunc, festa Romae sacra ne foedet dies,
Vultu serenent aureo tristes metus
Clementis Aulae columen, Augustum ge-
nus,
Daphnide decori, pubis accepti globis.
Et, militari more, sublimes nouae
Auspicia trabeae Caesares bini efferant.
Ciues soluti gaudio laetum diem

In

In spem recentem Caesarum ludo trahant.
Tyanea ludos sequere Romanos cohors.

Hic datur armorum pugna.

CHORVS.

P Vlsa nocte dies appetit aurea;
Sed momenta vacant nulla periculis.
Hostis nocte dolos callidus instruit.
Hostis luce malus vulnera dirigit.
Foecundam scelerum contere belluam,
Vires egregij nominis exerens,
Lapsis subsidium, praesidium bonis,
Iesv, dulce decus, nomen amabile.
Non hoc immeritò nomine praenites,
Summi vena boni, copia munerum:
Tu seruile iugum, tu scelus exigis,
Tu mortis dominum funere subijcis.
Nomen quod Genitor coelitus indidit,
Quod Virgo genitrix mox tibi reddidit:
Nomen, quod meruit mors tua fortiter:
Hoc non ante datum, quàm fuit inditum.
Nondum Mundus erat, cum DEVS ex DEO,
Cum tu, Vita, pari lucis origine:
Ex te nomen habes numine praeditum,
Foetum diuitijs, munere maximum.

H 2 Ergo

Ergo te memori carmine dicimus,
 O syncera boni copia maximi:
 Rerum principium, meta nouissima,
 Summa luce micans, optime Principum.

ACTVS QVARTVS.

SCENA PRIMA.

Praefectus Castrorum. Milites.

Praef. **D**aphnide Phoebea crines redimita,
 Iuuentus,
 Romuleae trabeae (quo transtulit
 omine Caesar)
 Omina, quò virtus inuitat Flauia,
 transfer

Sic Ducis Aeneae patrios sine fraude per ignes
 Auspiciis elapsa solo Priameia Latino
 Pergama dum quaerit, Capitolia celsa locaris,
 Laomedontaeae soluens periuria linguae.

Mil. *Age nex Martiali Omina Regni,*
Fronde, Iuuentus, Ioue trāsfer annuēte,
Fera bella pertinaci Regis ab Aula,
Passa labore; Regis in Aulam.
Bona signa Flauiorū Ter cane mecum,
Sponte sequuta; Martia pubes,
Sacra iura Darda- Paeā, Paeā.
norum,

Ia-

Praef Iasidae magni, genus insuperabile bello,
 Qui patriae cineres fleuistis, & vltima Troiae
 Funera dequesti, Lauinia regna petistis;
 Omina, quò virtus inuitat Flauia, transfer
 Romuleae trabeae, quo trāstulit omine Caesar.

Mil. *Age, cincta Martiali Omina transfer.*

Nebride, pubes, Ter cane mecum,

Regis ab Aula Martia pubes,

Regis in Aulam Paeā, paeā.

Omine cum bono

Praef. Sic Remus auspicium non maius fratris ab arce
 Viderit; & semper Cytherēus ignis Iulus
 Fulgeat, Augustumq. ferat per secula nomen:
 Quas bene despectat nondum Saturnia Iuno,
 Phoebus Auentinas sic visat candidus arces.

Mil. *Age, turba Martiali Omina transfer.*

Redimita fronde, Ter cane mecum,

Regis ab Aula Romula pubes,

Regis in Aulam Paeā, paeā.

Omine cum bono

Praef Pompilij regnum clemens iactantior Ancus
 Sic regat aeternum; nec fastu sceptrā superbo
 Tarquinij vexent: si vexent, mascula Bruti
 Sic iterum virtus pellat ceruice Tyrannos,
 Albanisq. notet Romanis fascibus annum.

Mil. *Impedita Delia Om. c. bo. Om. transf.*

Daphnide, pubes, Ter cane m.

Reg. ab A. Reg. in Au. Martia pubes, Pa. Pa.

Praef. Dexterā sic fulgens Romani Coclitis, ense
 Fulmineo, pontem donec post terga recidant,
 Vnica distineat Tyrrheni densa Tyranni

H 3 Prae-

Praelia: nec dubitet. dirupto ponte, secundo
Flumine, vulneribus cōfectum mergere corpus.

Mil. *Age Latoide* Om. c. b. Om. transf.

Incincta bacca Ter cane mecum

Aeneia proles, Dardana pubes,

Reg. ab A. Reg. in A. *Paeon, paeon.*

Præf. Sic nocturna, metu pulso, Tyberina fluentia
Transeat, & vinclis Romana Palatia ruptis
Cloelia decepto repetat custode Virago.
Atque viro propior bellatrix, milite maior,
Immemor & sexus foelicius arceat hostem.

Mil. *Age Deliacæ* Om. c. b. Om. transf.

Implexa vitta Ter cane mecum

Romula pubes, Martia pubes,

Reg. ab A. Reg. in A. *Paeon, paeon.*

Præf. Mutius ardenti dextra sic Romula seruet
Pergama; Porsēnaeq. Urbē obsidione premētis,
Agmina Romanis auertat ab arcibus: Illum
Attonito similis spectet Porsenna rubentem:
Illum Romanis sedato corde redonet.

Mil. *Age Virginali* Om. c. b. Om. transf.

Velata fronde Ter cane mecum

Martia pubes, Aeneia pubes,

Reg. ab A. Reg. in A. *Paeon, paeon.*

Præf. In summo custos Tarpeiae Manlius arcis
Sic vigilata tegat Capitolia clara, canori
Anseris excitus cantu: Sic, noctis opacae
Munere defensus, per dumos bina coruscans
Gesa manu fugiat defensa Gallus ab Vrbe.

Mil. *Age, militarem* Festa Iuventus,
Induta frondem, Reg. ab A. Reg. in A.

Om.

Om. c. b. Om. transf. *Strenua pubes,*

Ter cane mecum *Paeon, paeon.*

Præf. Coniuge cum casta sic casta Veturia mater
Leniat hostiles in nato molliter iras;
Molliter in Ciues, in natum fortiter audax.
Ille ferox fletu victus, victorq. superbae
Restituat patriae, quam perdidit ipse, salutem.

Mil. *Caput impedita* Om. c. b. Om. transf.

Festa decoris Ter cane mecum

Turba corymbis, Martia pubes,

Reg. ab A. Reg. in A. *Paeon, paeon.*

Præf. Sic exsul potior, quàm ciuis, & aere recepto
Hostibus & fuis in tempore, lapsa Camillus
Moenia constituat, nec Veios ire laboret.
Sed Patriae custos, sed Romulus audiat alter,
Consul & in placida componat pace senectam.

Mil. *Cytherea pubes,* Om. c. b. Om. transf.

Age Latois Ter cane mecum,

Innexa folijs, Festa Iuventus,

Reg. ab A. Reg. in A. *Paeon, paeon.*

Præf. Rustica bellator sic Cincinnatus aratra
Liquat, ad Imperij fasces, trabeamq. vocatus:
Quaq. manu stiuam flectebat, torqueat hastam.
Pauperie diues spreto sic fortis in auro
Fabritius Pyrrhum mentis splendore lacessat.

Mil. *Age, Phoebeis* Om. c. b. Om. transf.

Umbrata comis, Ter cane mecum,

Dardana proles, Festa Iuventus,

Reg. ab A. Reg. in A. *Paeon, paeon.*

Præf. Sic te, Cossæ ferox, sic te, Serrane, curules
Accipiant iterum: sic Punica bella retardet

H 4 Vnus,

Vnus, qui nobis cunctando restituit rem,
 Claudia sic virtus, sic duro viuuda bello
 Dextera Marcelli Poenorum conterat arma.

Mil. *Age, Latois* Om. c. b. Om. transf.

Nexa Corymbis, Ter cane mecum,

Dardana proles, Romana pubes,

Reg. ab A. Reg. in A. Paeon, paeon.

Pras. Scipiadas magnos, genus intractabile bello,
 Sic iterum magnae paueant Carthaginis arces:
 Et debellato Maurisia regna Iugurtha
 Romuleos iterum fasces, Latiasq; secures
 Supposita ceruice ferant, & semper adorent.

Mil. *Age, Latois* Om. c. b. Om. transf.

Nexa Corymbis, Ter cane mecum,

Aenëia proles, Festa Iuuentus,

Reg. ab A. Reg. in A. Paeon, paeon.

Pras. Iulia sic folijs aeterna repullulet arbor;
 Caesareosq; recens decoret sine fine triumphos.
 Incedant bello domitae longo ordine gentes,
 Ante rotas, Medique, sagittiferiq; Goastæ,
 Infidiq; Getae, impatiens & pontis Araxes.

Mil. *Age, Latois* Om. c. b. Om. transf.

Nexa Corymbis, Ter cane mecum,

Cithereia cohors, Festa Iuuentus,

Reg. ab A. Reg. in A. Paeon, paeon.

Pras. Ipse triumphato CLEMENS mitissimus Orbe,
 Augusta cum prole, senex conspectus in ostro,
 Dona recognoscat populorū, & flectat habenas.
 Vincant Euboicos, vincant & Nestoris annos
 Et Senis, & Iuuenum felicia regna duorum.

Mil. *Age, Latois* *Nexa Corymbis,*

Dar-

Dardana proles, Ter cane mecum,

Reg. ab A. Reg. in A. Martia pubes,

Om. c. b. Om. transf. Paeon, paeon.

Pras. Ast vbi composito bellorum terra tumultu
 Altera iustitiae meditabitur aurea secla,
 Imperium sine fine gerant Iuuenesq; Senesq;,
 Et nati natorum, & qui nascentur ab illis:
 Nec nisi ferus auus magno succedat Olympo.

Mil. *Age, Latois* Om. c. b. Om. transf.

Nexa Corymbis, Ter cane mecum,

Dardana proles, Martia pubes,

Reg. ab A. Reg. in A. Paeon, paeon.

Pras. En tandem genitor magna progressus ab Aula
 Extremum cogit fortunatissimus agmen:
 Qualis ab Eoo demersus Lucifer amne,
 Lumina deuexi postrema recolligit orbis:
 Ignes rarescunt, illo veniente, minores.

Mil. *Age Latois, Nexa cor. Etc. ut supra.*

Pras. Aurea quem iuxta soboles, spes altera Romae,
 Flos illibatus Populi, mitisq; Senatus,
 Syderei Iuuenes, Coeli sanctissima cura,
 Incedunt animo fratres, vultuq; decentes:
 Augustumq; alacres expirant cordis amorem.

Mil. *Age Latois, Nexa. Etc. ut supra.*

Pras. Dum licet, en oculos in dulcem absumite curā,
 Aeneadae magni; quantum decus ardet in ore,
 Cernite: quantum animo assurgunt, quantum in-
 star in illis,

Ex oculis, ex fronte lepos, ex pectore flagrat
 Integer, exercet qui gaudia vestra, Quirites.

Mil. *Age Latois, Nexa, Etc. ut supra.*

Pras. Fallor! an ambobus roseū DEVS afflat honorē?

Sic

Sic reor. humana maior, meliorq. renidet
 Augusta facies. DEVS hanc, DEVS attulit aurā
 Ingenuae lucis: rigidum DEVS ipse pudorem
 Temperat; ingentesq. animos submittit honestè.

Mil. *Age Latois, Nexa, &c. ut supra.*

Præf. Vt patriae mulcent curas! vt pectora placant!
 Vt veteres festa pellunt ex Vrbe timores!
 Vt facili in Ciues dispensant lumina flexu!
 Vt propiore DEO sublimes prima pudoris
 Argumenta sacri praeportant pectoris ignes!

Mil. *Age Latois, Nexa, &c. ut supra.*

Præf. Sic Helenae fratres deprensas sidera nautis
 Purius ostentant, & amica luce coruscant;
 Sydere quototo decedunt aethere nimbi,
 Diffugiunt nubes, & ponto strata recumbunt
 Murmura; tuta suo defertur flamine puppis.

Mil. *Age Latois, Nexa, &c. ut supra.*

Præf. Ille Patri propior, patrio qui nomine Princeps
 Auxit honoratum non vna laude parentem,
 Quem sese vultu, quem sese moribus effert!
 Aspicias vt viua scintillant lumina flamma?
 Proh, quantum elata, Iuuenis, ceruice minaris!

Mil. *Age Latois, Nexa, &c. ut supra.*

Præf. Hic verò, hic ille est, olim qui Marte feroci
 Implacatum Ararim bello, Rhenumq. bicornè,
 Et magnū Euphratem, & septemPLICIS ostia Nili,
 Auriferumq. Tagū pugnax Pholoemq. biformè
 Audeat, extremumq. hominū cōtundere Iberū.

Mil. *Age Latois, Nexa, &c. ut supra.*

Præf. Ille minor, roseo Iuuenis spectabilis ore,
 Lumina deiectus, sublimis pectore, Patrem
 Mente, manu fratrem, promittit, nomine Regem.
 Cui sese mitis sapientia laxius olim

Insi-

Infinuet, fingatq. animos, & leniat iras.

Mil. *Age Latois, Nexa, &c. ut supra.*

Præf. Vt matutino sublucet rore modestè
 Frondibus explicitis decor, ignescitq. pudicè
 Floris Acidalij, quem mollis amaracus herbae
 Vestiat, & gratum exhalans confundat odorem,
 Sic puer effundit, sic sepi corda pudore.

Mil. *Age Latois, Nexa, &c. ut supra.*

Præf. Dum prior ille ferox hasta turbabit Hydaspe,
 Indocilemq. iugi coget sub sceptrā Niphatem,
 Victor & emerita scandet Capitolia lauro;
 Hic minor, & placida potior virtute, fouebit
 Romanos rerum dominos, gentemq. togatam.

Mil. *Age Latois, Nexa, &c. ut supra.*

Præf. Fortior ille armis moderetur fortiter arma;
 Mitior hic animis placidissima iura gubernet;
 Ille paret bello, quae fratris pace regantur;
 Hic regat ingenio, quae fratris Marte parentur.
 Maximus ille sagis vincat virtute feroci;
 Maximus ille toga vincat virtute togata.

Mil. *Age Latois, Nexa, &c. ut supra.*

Præf. Hunc olim, quaecunq. sagis, quaecunq. quieti
 Seruiet aut animis, aut armis utilis aetas,
 Nil, nisi CLEMENTIS nomen, te maius haberi
 Roma velit, victrix armis, animisq. duorum.
 Ambos Roma colat, gentes veneretur & ambos,
 Tam variae linguis gētes, quam moribus omnes,
 Secula dum claudat postrema volubilis Orbis,
 Rursus & incipiant alij procedere menses.

Mil. *Paeon, paeon. Romula pubes,*

Age Latois Paeon, paeon,

Nexa Corymbis. Dicite mecum.

Ma-

<i>Maiore sono</i>	<i>Strenua bello</i>
<i>Dicite mecum,</i>	<i>Frangere gentes.</i>
<i>Paeon, paeon,</i>	<i>Paeon, paeon,</i>
<i>Romula pubes.</i>	<i>Dicite mecum.</i>
<i>Nemorum Virgo,</i>	<i>Regis ab Aula</i>
<i>Extrema breui</i>	<i>Regis in Aulam</i>
<i>Resequuta modo,</i>	<i>Omine cum bono</i>
<i>Tota volutet</i>	<i>Omina transfer.</i>
<i>Carmina septem</i>	<i>Ter cane mecum,</i>
<i>Collibus Echo.</i>	<i>Martia pubes,</i>
<i>Paeon, paeon,</i>	<i>Paeon, paeon.</i>
<i>Dicite mecum,</i>	<i>Paeon, paeon.</i>
<i>Romula pubes,</i>	<i>Paeon, paeon.</i>

SCENA SECVNDA.

Imperator Domitianus. Flau. Clemens. Vespasianus, & Domitianus Junior Caesares. Ephebus. Consiliarij. Tyaneus. Paredri. Milites.

Imp. **S** Pes vna gentis, frater, & Romae pater,
Cuius senectus prole vallatur pia,
Qua fratris orbi sceptrum fulciret DEVS;
Fundabit Aulam laetus hic nostram dies:
Regni paterni, frater, in partem veni.

Te

Te Roma, te Vespasia fortuna expetit,
Tu corruentem sustine, frater, domum,
Lauri nepotes iura moderentur sacrae:
Haurere Iuuenes indolem credo tuam,
Haurere nostram. Regna, quam caepi libens,
Tam trado vobis: pulchrius multo est mihi
Dedisse vobis sceptrum, quam gentis dedit
Fortuna nobis. Casus est nasci Ducem;
Efficere, virtus. Principem capitis notam
Induite, Iuuenes: summa vos belli penes,
Et summa pacis, Caesares, posthac erit.
Quae coepta Numen approbet. Iam nunc
Ducum

Praecipite mores: regna, quae virtus dedit,
Virtus gubernet. nullus est regni labor,
Si ferre possis: mole ne pressus ruas,
Virtute tollas. purpurae fulgor sacrae
Multos fefellit, fallet & multos, mihi
Credite; nec ille semper experto placet.
Quem solus ille splendor ignarum trahit,
Pondere laborum solus ignauum premit.

Dom. Si merita quaeris aequa, si vires pares,
Quae vasta dignè sceptrum terrarum ferant;
Aetas recusat munus hoc longè mea.

Vesp. Tam rudibus annis tuta nequaquam est fides.

Dom. Sed, quod modestè, Auguste, profiteri audeo,

Nec

Nec polliceri vereor, hoc pulchrū est, tibi
Obtemperando, vt consequar per te decus,
Quod imperando postules Romae dari.
Quod pōdus aetas refugit, vt virtus ferat,
Parere iuuenem citius ignarum iube.

Vesp. Et laudis amplae fuerit, vt spero, tuae
Optasse regno puberes; regni rudes
Fecisse Reges; atque, cū regnum dares,
Animos dedisse regios nobis simul.

Dom. Tu iura pacis, iura tu belli reges
Virtute, nutu, mente, consilio, manu.
Nos decora regni regere dumtaxat decet,
At iura, & arma seruient sceptris tuis.

Imp. Est vis in animis puberum, teneris licet,
Cui columen altū Flaviae incūbat domus.
Multa est in ista mater; est multus Patris
Actate in ista dignus Imperio vigor.
Meliora si sequentur, haec prima approbo.
Omen futurae laudis est omen spei.

Fl. Cl. Respuere donum fortiter posseim quidē;
Nisi regna, frater, mente fraterna dares.
Nunc tibi merenti, digna pro tanto DEVS
Munere rependat dona, dum rapido dies
Voluentur orbe; bruma concreset gelu;
Verno decorum flore ridebit solum;
Sirius hiulca prata torrebit canis,
Grandesq. baccas grauidus autūnus feret,

Tua

Tua dona, frater, fama narrabit recens.

Imp. Nunc auspicari Roma spem discat suam,
Qua spe recumbat columen Augustum
Imperi.

Felicitatis omen ex vestra indole
Populus capeffat, nata sub casto lare,
Nutrita castè, perq. nobilium artium
Educta cultus. More Persarum palam
Ingenia, Iuuenes, vestra spectari placet.
Aliquis decoris regij autores vocet,
Quibus haec iuuenta credita est.

Ephe. Adfunt senes
Quatuor, ab omni laude Græcorū inclyti.

Imp. Quam quisque vestrū callet, & tradit, licet
Pro se reposcat scita virtutis suae.
Exquire iura mitis Astreae, senex:
Tyanae, poscit vsus hic aures tuas.

Consil. Quae forma regni vera?

Vesp. Iustitiae tenor
Idem per omnes ductus officij gradus:
Morum magister, ordinis rector, bonae
Tutela pacis, ciuium praesens salus.

Dom. Vox est Lycaeï: ex porticu vero, fidem
Chrysippus addit, acer in primis senex.

Tya. Felicitatem Ciuium regno asserit
Hortus Platonis, rore Socratico madens.

Dom. Hæc ipsa sūma est, hospes, & regni modus.

At

At noster auctor explicat causas, quibus
Alumna pacis illa Chryssippi fides
Nascitur, & hortus iste Socraticus viret.

Conf. Quid esse Regem reris?

Dom. Exemplum DEI,

Felicitatis Principem, pacis Ducem,
Aequi seuerum Praesidē, mitem Patrem.

Vesp. Hoc ex Homero doctus expressit Plato,
Vir eloquendi maior aliquantō artifex,
Quam sentiendi.

Tya. Scriptor in Cyro grauis
Xenophon, requirit aera, populorū metū,
Fidemq., classes, arma, legionem, asseclas.

Consil. Loco requiris, hospes, armorum metum.
Sed quae ferocis scita virtutis putes,
Collega noster quaeret. *Consil.* In partes
genus

Caesar, decori differas.

Vesp. Primas DEO,
Iustitia tribuat templa, pietatem, sacra.
Patriae secundas, arma, consilium, fidem.
Homini pudoris lumen ingenium sagax,
Partes in omnes decoris intentū impetum,
Animumq. memorem numinis, castum &
metum.

Tya. An esse Diuos reris?

Pare. Hic aures mihi

Arri-

Arrige: tenetur: haeret.

Vesp. In longos vocas
Sermonis orsus, hospes. incoepto procul
Auius aberras. quaere, quae quaeris, loco.

Pare. Eiusa cecidit quaestio, quae de DEO est.
Molem periculi Iuuenis excussit vafer.

Imp. Mittantur ista. Fortis officium Ducis
Exquirat alter: dedimus Erigonae satis.

Consil. Effinge fortem, Caesar: in bello ferox
Furit ille semper aspero armorum sono?

Vesp. Numquam ille temere saeuit: haud caecum
impetum

Proiecat audax animus infani hoc erat,
Non fortis. Igitur ille qui, Magni notam
Lucratus, Aulam Macedo Persarum eruit,
Temere profusis viribus, verae decus
Laudis reliquit, turbidē tantum ferox.
Armata virtus mente rem belli gerit.

Dom. Cunctator ergo noster, & lenta mora
Annibalis arma Fabius in longum trahens,
Depulit: id vnū quippe cunctando cauens,
Patriae vt reseruet arma, ne bello excidat:
Semper recenti laude florebit senex.
Senuit Minucij dextra proiecte minax.
Memor ferocem fortis ardorem in loco
Expromit: aut cū sancta religio virum
Obsessa poscit; nutat aut patriae salus

I

Op-

Oppressa bello . saepe pro casta decet
Vitam pacisci laude . nam quaedam bene

Tempora pudori fortis inuicto dabit ;

Vitaeq. turpi fortiter mortem pudor

Praefert honestā. Virbium Scenae sonant,

Semper Menoeceus laude canescet noua :

Illum pudori, hunc immolat patriae fides.

Imp. Nūc age, tumultu regna ne trepidēt nouo,

Animoq. Ciues arma discordi fremant ,

Mulcere motos arte qua fluctus queas ?

Vesp. Nec vna subiti causa diffidij feros

Irritat animos, Domine: nec motus modo

Ponuntur vno: remedio tamen hoc fuit ,

Habuisse Ciues Ciuium semper loco .

Seruile nomen odit, & sortem, & notam

Quicumque nomen hominis, atque ani-

um gerit.

Dom. Nam iura Regni iure naturae sedent ,

Quae Patria non natura, regnanti dedit

Scilicet in aequos ante naturae gradu .

Virtute nempe sceptrā, populari fide

Nituntur : illam verus ex meritis amor

Conciliat; at amor elici, non exprimi ,

Merendo, non iubendo, qui verus, potest.

Consil. Quid si timerent ?

Vesp. Diligi humanum est magis .

Instabile multis reddidit regnum metus .

Me-

Metuant Tyrannum Barbari saeuū truces :

Fortes Quirites Caesares fortes ament .

Quod liber animus spōte dat, iussus negat.

Metu coacta deferit Reges fides .

Precario imperatur, vbi terror valet .

Imp. Mauis amari Caesares ; artem doce .

Vesp. Intentus animus, arduus, celsus, sagax,

Impiger, amoenus, viuividus, verax, probus,

Exposita virtus, mollis affatus, manus

Donare facilis, mitis ingenij sales ,

Consilia certa mentis, ingenij rigor

Custos pudoris, aequa promissis fides,

Idemq. vultus semper, & nullo metu

Timidè recedens pectoris magni color,

Nec dextra bello segnis, aut paci grauis

Vbiuis amantur, sine si modico latent .

Si summa sint in Rege, de Coelo DEVM

Adesse clamant ; adit & felix, rogant :

Amant, verentur, ambiunt, ornant, colunt .

Imp. Aliò vocetur sermo ; sat doctis erit .

Quae vulnerandi ratio Romanae magis

Pugnae videtur apta ?

Vesp. Quae punctim ferit .

Letalis acies esse mucronis solet ,

Cum penetrat: at quae scindit, ingēti licet

Vulnere, medelae saepe nociturae locum

Stultè reliquit. Hostis en vultu ferox

I 2 Post-

Postquam cicatrix coijt, obducta cute,
 Ferrum retractat, instat, & rursus ruit
 Acrior, & ipso ex vulnere accensus magis.
 At cui per imas viscerum fibras abit
 Transmissus ensis; stratus in foedo comã
 Pulvere volutat victus, & verè iacens
 Nunquam rebellat; victor exuuijs ouat.
 Sed militaris roboris miles decus
 Expetat: at Imperator exoptet Ducis
 Animos, & artem bella moderandi fera.

Imp. Ductoris ergo prome quas partes probes.

Vesp. Commissa ferro fama consilio senum
 Regèda primò est: fama, quae summi Ducis
 Sit summa; nã quae media, nil sane moror.
 Habeat Senatum; bella non semper manu
 Auidus cruoris ductor adoriri velit.

Ducibus iuventus pareat, senibus Duces.

At cum iuuentam classico bellum citat,
 Pubes legatur apta, bis denas supra

Adulta messes; docilis in longum famem
 Extrahere, patiens pulueris, Solis, niuis;
 Annibalis olim qualis, & Pyrrhi retro

Deiecit arma; qualis in Libyam metum
 Urbis retorfit; quaeq. Pellaeo Duci

Obuia stetit, siue Papyrij cohors

Affucta castris, siue Torquati pauens

Fusces seueros; quaeq. fregisset minas

Orien-

Orientis ardens, Latia si Macedo ferox
 Tentasset arma. Volscus, Etruscus, Ligur,
 Pelignus, Oscus, Hernicus, Samnis manus
 Versare glebas sueta bellorum sciens:
 Marsus, Sabinus, Vmber, Amerinus: quibus
 Romana virtus creuit, & toto vagam
 Aquilam Latinus Orbe victricem tulit.

Imp. Collega Regni, Caesar, & fratris comes
 Exquire Dumiti, si quid exponi studes.

Dom. Ambire frontem fronde murali velim;
 At cespes ille graminis paucis datur,

Quod ex superbis arcium petitur minis.
 Proinde quo molimine aut sternam solo,
 Aut irreperitum limen explore, doce.

Vesp. Describe positum molis, & faciem loci.

Dom. Opulenta spatijs ora diffusis patet,
 (Velut Antuerpiense Belgarum solum,
 Vbere beatum pecoris, & frugum ferax)
 Populosa, diues, urbibus centum frequens.
 Hac portuoso marginem ad primum mare
 Alludit aestu; caerulo in campo procul
 Pecorosa, facili pascuo contra iacens,
 Inimica nostris, quaeq. me ignaro hostibus
 Alimenta fellis larga subuectat rate.

Insula virenti laeta respondet solo,

Et ipsa diues, facilis & victu, oppidis

Notata crebris, atque glandiferis iugis:

I 3

Hic

Hic mihi rebellans hostis indocili iugum
 Ceruice quassat : ille bellorum sciens
 Et qui salutem, & nomen in dextra gerit,
 Promptam abstinere nescit à ferro manū,
 Et saepe bello fractus infringi nequit,
 Opibus amicis fesus, & pugna suis.
 Hoc fretus, armis arce se tuta tenet,
 Quam tumidus annis inter illapsus secat.
 Huc quidquid alibi pascit, aut foelix arat
 Accola, secūdo flumine ex longo inuehit.
 Quin altus vndis gurges in gyrum alluens
 Moenia refusis ambit, & late aestuat.
 Arx urbis ipsa capite turrato ardua
 Coelo minatur vndique, & triplici arcium
 Culmina recinctu solida murorū imminēt.
 Dic, quī capeſſam frondis hinc quernae
 notam ?

Vesp. Magnum opus, & anceps, aleae & plenus
 labor.

Sed cui labori cessit vndifono Tyrus
 Praetenta ponto, segnior bello licet;
 Et Antuerpiensis huic, quamuis ferox,
 Succūbat hostis : melior Alexāder modo,
 Quā Macedo, muros Urbis obsidio pre-
 mat.

Hac, quā per vndas subuehit faciles opes
 Insula propinquis hostibus, prima rates
 Pro-

Prohibeat ora miles ad litus sedens,
 Assiduus, acer, multus. Hic stagnant vbi
 Vndae refusi gurgitis, castris phalanx
 Positis, adactis machinis Urbem urgeat:
 Saxis, sagittis, vineis, plumbo, face,
 Ad primaripae spatia terrorem rotet.
 At, quā sonoro flumen illapsu arduam
 Influit in Urbem, larga sufficiens sinu
 Pabula secundo; densus intexta trabe
 Impositus anni miles ineuntes opes
 Distineat armis; & catenatus labor
 Insternat vndas, ratibus iniectis super.
 Lento duello victus, & lenta fame,
 Tandem superbus hostis accipiet iugum,
 Et tibi virenti vinciet quercu caput.
Imp. Ita prorsus. istuc adderet Macedo nihil.
 Nunc tu vicissim, Vespasi, quiduis roga.
Vesp. Tu fare contra, sceptrā quī fundet quies.
 Viden' ampla Romae regna quā forti manu
 Aegrè tenentur: utq. victorem graui
 Pondere fatigant, bella dū transfert vagus,
 Et claustra longè miles Imperij feris
 Praesepit armis, regna tutatur male,
 Et pace parta tela non ponit tamen,
 Intentus hosti semper. Europam tenet,
 Imperitat Asiae, regiam fraenat Iubae,
 Libyam coërcet, quicquid illustrat dies

Nostrum est, & intra limites regni facet :
 Tamen inquieta pace vix vti licet .
 Perdomita dominā terra detrectat manū .
 Certata toties bella certantur diu :
 Extrema seruas? media terrarum labant :
 Ad media properas? flecte legionem retro,
 Ultima laborant: hostis hāc fessus silet
 Paulisper? illac strepitus armorum sonat .
 Mauri quiescunt? Baetis, atque Hammon
 fremunt :
 Pax est Ibero? Gallus in ferrum ruit .
 Sequana tumultus posuit? en Ister ferit:
 Istro redacto, Tanais horrissonum strepit .
 Haec inter, acuum miles in castris terit,
 Et bella trepidis semper excubijs premens
 Ex orbe in orbem transit, atque instat sibi .
 Hinc foeda labes rebus: hūc belli refer
 Vitia eruenti : Roma nam longe minax
 Victoriarum sustinet pondus male,
 Auxilia fessis lenta dum rebus parat,
 Vix sparsa terris regna diuersis tenet .
Dom. Arcana regni, Caesar, vt video, moues.
 Quae nosse fas est Cæsares, populos nefas.
 Refert, Quiritum iura, post Brutum Ducē
 Signata fastis, nosse : quo pacto recens
 Curia Senatus prouidi victis agros
 Demptos colonis, donat emissis: graui

EXO-

Exonerat Urbem plebe, populorum fidem,
 Sobole remissa ciuium, astringit sibi ;
 Exhausta bello, pube suffecta, hostium
 Oppida frequentat, iure ciuili addito .
 Ergo Quirina floruit virtus diu,
 Quoad colonus municeps, ciuis satu,
 Communicati generis, & iuris fide,
 Incolume regnum sorte tenuerunt pari .
 Statiua pubis castra suspectis locis
 Fixisse multum profuit, nequid metu
 Solutus hostis audeat. Victor procul,
 Dum signa transfert, inslet, & fessos diu
 Delasset hostes: citius euctis nihil
 Abit, remisso Marte, quam iuris fides .
Imp. Spectata memoras: ede, si nosti, hoc quibque,
 Statiua victor castra quo tractu loces?
 Qua sede fixus regna contineas metu?
Dom. Audita tantum dicta memorabo puer .
 Sithonia longo, Domine, se tractu explicat
 Interluentis Bosphori gracili sinu
 Praefusa tellus vndique. hāc Thraces arāt,
 Aegocerus imam spectat extollens facem,
 Et sydus vrget triste falciferi senis .
 Perpetua spatijs ora nascentem diem
 Perfidaq. , Mediāq. , Gangaridū & domos
 Cilicemq. Orontem, & triste Calliroae
 specus,

Et

Et vasta longè regna Nabatheaë plagae
 Proiecta spectat: latere sed dextro niues
 Glacialis orae tangit, & Macedum iuga,
 Finitima late spatia, Rhodopeiû & nemus,
 Haemumq., & Hebrum, & saena regnata

aspero

Quondâ Lycurgo faxa, & Illyricos sinus,
 Laetaq. Timauî littora, Euganeum & so-
 lum.

At quâ cadenti Vesper occumbit die,
 Proxima suburget, Libya quàm lata est,
 mare,

Byzantijq. Bosphori affines sinus,
 Hac sede certa castra muniri licet:

Huc facilis aditus, reditus hinc tutus patet.

Traiectus vnde miles excursus breues
 Tentabit, & quâ Gange gemmifero rubet

Aurora diues, quaq. Ripheas niues

Accumulat Aquilo, quaq. Barcaeos siti
 Deserta regio nutrit, infraenum genus.

Imp. Iuuenes, facultas vestra spectata est satis.

In antecessum. Sceptra terrarû haec manu
 Gestate facili; iura, quae nostis Ducum,

Docete Reges: Caesarum hoc harpe decus

Suspensa lateri pendeat: gentes metu

Cohibite fortes: gentium vobis salus

Commissa, Iuuenes, esse vos iustos iubet:

AU-

Auspicia Diuus nostra Tarpeius probet.
 Ostende Romae vota terrarum, cohors,
 Iterate Paeon, Milites: Paeon sonent
 Omine secundo colle septeno iuga.

Praef. Iasidae Magni, &c. ut supra Scena I.
Mil. Age Latois Nexa. &c. ut supra Scena I.

SCENA TERTIA.

*Imperator Domitianus. Domitianus
 iunior Caesar. Tyaneus. Flamen
 Dialis. Flamen Flavius Augusta-
 lis. Popa. Mysta. Praeco. Paredri.*

Imp. **N** Os hinc Deorum pompa digressos
 vocat:

Moeustum Sibyllae carmen, & caecae Deae
 Curare sortem Flamen egressus iubet.

Tya. Iuuenes abesse Caesares sacris veta,
 Auguste; Iuuenû mitigant Diuos preces.

Dom. Nos alia quaedam sacra, quae sperni est
 nefas,

Incepta dudû, Domine, pro regno vocant.
 Indicta Patri nuper hunc ipsum in diem.

Imp. Cui fit Deorum?

Dom. Maximo, & verè optimo.

Per

140 FLAVIAE TRAGOEDIAE
Imp. Per me licebit. Petite Tarpeiam domum.
Dial. Praeire precibus, si placet, Caesar, licet.
Imp. Verso de Superis siquis ab Illo
Aeneam profugum, numine prospero,
Ad Lauina tulit littora, nec regis
Spes Romae perijt Laomedontijs;
Huc flectat placidum numen, & arceat
Seu quid terra tumet, siue quid aequora:
Optatum referens omen ad exitum.
Dial. O Saturnia, maximi
Et coniux Iouis, & soror;
Arces quae Tyrias, Samo
Olim posthabita, fouens,
Malles, Diua, Sidoniam
Victis pandere regiam;
Ni frater melioribus
Fatis Oenotriam daret.
Turnum tu Iuuenem tegens,
Et pactos Iuueni toros,
Exorata tamen pios
Numen vertis ad exfules.
Tu si laesa doles, minas
Vertas in melius, Dea:
Augustumque Ducem diu
Serues incolumem, precor.
Vel tu bellipotens progenies Iouis,
Quae, quo nata die es, numina territas,
Ar.

ACTVS IV. SCENA III. 141
Armas & rutila cuspide dexteram,
Munis Gorgonea pectus & Aegide:
Incrementa Patris maxima maximi
Iam tum, Diua, probas, cum tremuit Iouis
Vertex, & cerebrum fissile Mulciber
Ictu praeualido diffidit, aurea
Irrorans pluuiam protinus aethera:
Hastam concutiens vulnere patrio
(Tantum numen eras) innuba proflis.
Tu Vespasiam numen ad Aulam
Verte, Virago: si te centum
Magnus ad Aras Caesar adoret.
Flau. Tuus ille, tuus, similisque tibi,
Optima Pallas, pulcher, & ardens
Fulmine Patris, cuspide Matris
Filius: acres ille Tyannos,
Ipsa bimembres Diua, Gigantes
Sternis: & Orbi consulit ille
Solutus, & astris: turba Deorum
Tecum patrio pugnat Olympo.
Popa. Agone? *Dial.* Dicatae victimae niueum mola
Asperge vellus.
Myst. Vellus aspersum est mola.
Flau. Immerge torrem.
Myst. Fumidam stridens facem
Extinxit vnda. *Dial.* Rore lustrali madens
Decerptus olea termes in gyrum viros
Ter,

Ter, Mysta, spargat.

Myf. Sparfa ter lympha est leuis.

Dial. Praelibet, adstet quiquis: in partem Iouē,
Thalamique sociam, & Palladem supplex
vocet.

Myf. Calix in Orbem ductus est.

Dial. Verbis male

Parce ominatis, quisquis his sacris ades.

Fauete linguis: admoue sacrum pecus.

Popa. Agone? *Dial.* Quod optas, Caesar, exposce.

Praeco. Hoc age.

Dial. Nunc, quem latentes victimae fibras velis
Consulere, Caesar, propius accedat, licet:
Adeat Aruspex.

Imp. Numinum exploret minas

Auctor Deorum certus: Extales notas,

Tyaneae, fati signa manifesta inspice.

Tya. Ne diuagetur animus in morem mihi,

Obtende circum linteo, Thespis, caput.

Diuisa curis errat, & serò redit

Volucris ad usum mentis ingenij fuga.

Sat habes. ad aram victimam appelli iube.

Tu luce viduum, more quo nosti, regens,

Arcana referes monstra, quae fibrae notat.

Pare. Appulsus aris agnus expectat manum.

Tya. Lacrymā Sabaei thuris in cumulū instrue.

Pare. Plurimus in Orbē thuris affurgit tumor.

PO-

Tya. Populare carmen Palladi, matri optimae,
Sacrifica puber, voce solemni cane.

Myf. Ingenij soboles magni, Tritonia Virgo,
Bellisonae laudis, paciferae q. potens:
Mille parens operum, foelix Dea, mille laborū:
Vtilis vna sagis, vtilis vna togae.

Te colit, exstantes radio percurrere telas

Qui solet, & rarum pectine densat opus.

Te colit & laesis maculas qui vestibis aufert,

Te colit & lanis quisquis athena parat.

Quiq. mouet Coelum, tabulasq. coloribus vrit,

Fingit & artificii mollia saxa manu.

Te quoque, Phoebaea morbos qui diluit arte,

Pocone sit quamuis doctior ille, colit.

Te nihil inuita cultis tentabit in agris,

Sit melior Tychio rusticus ille licet.

Et licet, antiquo manibus collatus Epeo

Sit prior, irata Pallade, mancus erit.

Numinis ò miri numen capitale Minerua,

Ingenium solers, armipotensq. Dea.

Tu seu pacis amas faustae gestamen honestum,

Ingenium leni munere lene proba:

Seu trepido gaudes populos miscere tumultu,

Pro Ducibus nostris Aegida semper habe.

Tya. Succende thura. *Pare.* Thure succésso focus

Fumum volutat. *Tya.* Extitit flammae iuba?

Pare. Extitit: at ater fumus obduxit facem.

Tya. Indicia rixae prima praemonstrat Dea.

Quid flamma?

Pare. Structam dubia praegustat pyram;

Inuita circum serpit: & fumo nigrum

Stri-

Stridens volumen errat obscurae facis .

Tya. Geminata laudes Palladis : numen potens
Placate cantu : Pallas auertat metus .

Myst. Numinis ò miri numen capitale Minerua,
Ingenium solers, *Ec. ut supra.*

Tya. Euentiletur flamma momento leui .

Pare. Euentilata flamma diffudit comam .

Tya. An color in igne certus ?

Pare. Horresco intuens :

Aspice, rubenti prima subluce iuba :

At media lucent instar Oebalij croci :

Postrema liuent . Rursus in summa face

Fumi inuolucrum cernitur (monstrum rei

Mirum) refusus inde per totam iubam ,

Aspice, sereno liuidus serpit color.

Tya. Meliora narras signa.

Pare. Quid cerno ? niger

Clarescit ignis : rursus infectae comae

Rarescit ille liuor à summo fluens .

Nec vna facies ignis , aut fumi color

Splendescit vnus : purpurâ splendens apex

Animulat; albo variat obscuro sinus :

Effulget hyalo satura pars flammae prior ,

Viridi smaragdo similis: amethysti vident

Illum colorem? cernis incertae facis

Vt discolore lumen ignescit sinu ?

Cùm nullus adsit, nullus hìc dehit color.

Sic

Sic quoque columbae mitis, obuerso die,
Guttata tingit colla versicolor nitor .

Expone, doctor, signa quos moneât metus.

Tya. Addubitat animus: Palladis si sunt minae,
Placate mite Palladis numen Deae .

Myst. Numinis ò miri numen capitale, Minerua,
Ingenium solers, *Ec. ut supra.*

Tya. Iugulo soluto, mittat in flammam sacrum
Victima cruorem .

Pare. Manat in flammam cruor .

Tya. Costis apertis cerne venarum situs .

Pare. Quid hoc? meatu capita perplexo latent,
Disclusa propria sede: non fibrae micant,
Non ipse pulmo palpitat motus loco .
Praetenta cordi (triste portentû Ducum)
Omenta guttis sparsa sanguineis rubent.

Tya. Quid cordis ardor ?

Pare. Languet; & tactu retro

Virgae recessit sanguis ; & venae tepent ,

Ad cordis arcem fistulis tentae cauis .

Tya. Iterate cantu Palladis laudes piae .

Myst. Numinis ò miri numen capitale, Minerua,
Ingenium solers, *Ec. ut supra.*

Pare. Sed ecce pugnax viscerum exultat pauor .

Discors repente rixa fibrarum omnium

Intenta varijs exta sollicitat vijs .

Labyrinthus olim talis, obliquus labor ,

K

Pa-

Parietibus anceps turbat implexis iter .

Tya. Cuncta ne rebellant exta pugnaei situ ?

Pare. Non cuncta, doctor. pauca tentantis manū
Quatiunt .

Tya. Cruoris ede, quas cernis, notas .

Pare. Quae vena cordi iungitur, nigro tumet
Liuore fellis, turgidum pleno vehens
Tractu cruorem : bina cui motu leui
Nectitur vtrinque fibra, cum reliquū vacet
Cruore corpus: numerus hic tantū rubet ;
Tribusq. large profilit venis cruor .

Tya. Proh sancta Pallas, praeses imperij Dea :
Tantumne facinus, tantus hic gliscit furor ?
Vix credo: verè tuta non vsquam est fides .

Imp. Quid trepida sacri monstra terrifici ferant,
Effare, vates .

Tya. Domine, quid fari iubes ?
Inter tumultus cordis, & diros metus
Attonitus haeret mētis, & linguae stupor.
Sūt graua, sunt nefanda; sed in alto sedēt,
Quae monstra custos capitis Augusti mo-
net .

Imp. Expone propere, tetra sint quamuis, mala .

Tya. Tacere quaeso, patere, quae suadet metus .

Imp. Si te labores Urbis attonitae nihil
Tangunt, & Aulae cura Vespasiae; nihil
Etiam mouebunt damna terrarum omniū?

Ne

Tya. Nescire malle, scire quae nimium studes .

Imp. Adeò ne vilis ducitur Regum falus,
Qui nos inertis remedio ignorantiae
Obruere, non sanare, contendas mala ?

Tya. Vetes moueri, si quid est tangi nefas .

Imp. Arcana sacri retege ; vel victus malo
Disces periculo Regis irati minas .

Tya. Odere Reges quidquid auditu est graue .

Imp. Non ista vox à Caesare exsculpi potest ?
Adhibite, famuli, machinas dirae necis .

Tya. Inuita, Ductor, verba, quae terror premit,
Tua iussa promant, capitis & primi falus:
Mea, vilis esto: dicta patienter feras .

Imp. Vlline fraudi est vocis expressae sonus ?

Tya. Mihi quippe: ni vim, Caesar, arceri voles.
Indicia vati saepe nocuerunt sua .

Imp. Tantum ne cuiquam liceat in regno meo ?
Quis iste foelix, Maximo maior Duce ?
Arcana profer tutus Augusti fide .
Me Rege viuo, vel Iouem spernas licet .

Tya. Minora multò sceptris contemnam magis.
Nunc hos latentis sortis horribicos sonos
Excipere testes, Caesar, astantes veta .
Arcana sunt, & magna, quae Pallas tegit,
Retegitq. praesens capitis Augusti parens .

Imp. Absiste, vocis arbiter nostrae, procul.
Vacuum loquelae liberae tempus datur .

K 2 Odium

Tya. Odium Deorum, Domine, vel potius tuū
 Sim, nisi pauore sanguis attonito coit,
 Dum dira facies sceleris infandi meos
 Oberrat oculos ante, quae fugit tuos.
 Te monstra, te portenta (proh priscā fidē!
 Tantine, quaeso, nomen illud Ducis?)
 Te signa sacri, Caesar, horrendi petunt.
 Relegantur animo fortis Euboicae metus.

Imp. Nūc recolo: quiddā nunciat magnū, & ferū
 Vrgere scelere Regiam pressam graui.
 Eloquere rursus verba Cumaeae senis,
 Memori notatae mente si voces sedent.

Tya. „ Fessa diu, scelerum foedos auerte tumultus
 „ Regia, decedet cedentibus ira Deorum.

Imp. Iram Deorum nunciant, Aulae scelus,
 Foedos tumultus, ciuium occultos dolos.

Tya. At ira Diuūm cedet, & tristes minae,
 Si cedet Aula criminis caeci lues:
 Fortuna similes edit Euboicis sonos;
 Miro Sibyllae recinit assensu Dea.

„ Non prius infensi mitescet numinis ira,
 „ Candida nec moestae ridebunt sydera Romæ,
 „ Quam scelerū foecūda dabit verruca rubores
 „ Sanguinis.

Imp. Ad istas animus ambages pauet,
 Verruca quae quos rubra terrores ferat.

Tya. Adnata mēbris macula, mēbrorū est nota,
 Non

Non ipsa membrū est, ille verrucae tumor.
 Sed laesus, ipsi corpori pestem parit.
 Turgens propinquo sanguine adnatū malū
 Sceleris propinqui monstrat affinē luem.

Imp. Quae verba superant fortis ambiguae, ex-
 plica.

Tya. „ Quam minime reris, maētatu victima diro
 „ Dardaniae reddet, Ductor Romane, salutem.

Solamen ingens rebus extremis adest.

Maētata Diuis victima arcebit metus.

Imp. Quo capite numen Regiae infensum iubet
 Scelus expiari?

Tya. Caesar, inopino, vt reor,
 Nec innocenti capite vim vinces Deūm.
 Fortuna certe poscit inopinum caput.

„ Quam minime reris maētatu victima diro
 „ Dardaniae reddet, Ductor Romane, salutem.

Imp. Nunc illa facti signa terrifici edoce.

Tya. Flammae volumen discolor vario, nefas
 Tumere partu praemonet: liuens apex,
 Primò serenus, deinde per totam iubam
 Versicolor ignis, Regiae ingentes metus,
 Terrore vario fraudis incertae, notat.
 Sed terror omnis regium circa caput
 (Meliora Pallas: omen auertat Dea)
 Ambiguus errat: inde depulso metu,
 Infida capiti membra deposcunt minae,

Apicis fereni pura quos monstrat coma .

Imp. Quid exta ?

Tya. Similem flammeo ostentant metum .

Imp. Eloquere miram Numinum concordiam .

Tya. Quae cordis arcem vena tumefacto petit

Infecta tractu, fraudis affines dolos ,

Et vim tumultus impij , & luctus graues

Capiti imminentes Principi haud dubie
indicant .

Haec fissa bino sanguinis foetu furit ;

Quam bina circum fibra se fundit rubens .

Imp. Instare pridem ciuium motus feros

Praefaga mens ducebat; hos Diui monēt .

Sed sceleris auctor Caesare ignaro latet .

Tya. Praeuerte fraudem, Caesar : auctori & suū

Regeratur, oro, crimen. En aude : virum

Haec fata poscunt . Qualis ex ista quies,

Felicitatis quantus ex ista tenor

Seueritate ducitur regno, vide .

Lustrabis orbem: Numinum pones minas:

Sydera redibunt laeta : Felici parens

Fundabis Aulam prole, quam spondet pio

Fortuna patri .

Imp. Fare, qua multa Deum

Sedentur irae .

Tya. Nempe, quam minimè velis .

Imp. Expone nomen .

Si-

Tya. Signa, non homines, Deis

Aperire mos est .

Imp. Victimae signum dato .

Tya. Cum prole gemina numen exposcit Patrē.

Imp. Quae scelera patrē, noxa quae scedat genus?

Tya. Noua sacra Romae suscipi nosti, reor.

Imp. Iudaea dices sacra; quae, CHRISTO duce,

Inuecta Latio, strenuè princeps Nero

Exegit Vrbe nuper, vt cultum Deum

Affereret aris .

Tya. Ille vir, Caesar, fuit .

Nunc illa rursus pullulat Romae lues ,

Egressa latebris: illa nunc Aulae imminet,

Te Rege, te Tritonidis nato, & Deo :

Et tépla Diuum, & sceptrā diuexat Ducū.

Quos ergo iuuenes signa sacrorum noua

Praeferre cernes, illa te, Caesar, patri

Adiuncta proles, scelere sacrilego petit .

Vt numen ipsos potius infestū opprimat .

Imp. Opprimet . ab ense sanguis hoc sequitur

quoque .

Tu modo locorū, & téporū indicia edito

Manifesta, per quae noxiū exagitē genus .

Men' petat inultus hostis ? huic quisquam

Deum

Illudat homini ? signa tu sceleris dato .

Tya. Nō prius Olympū claudet occiduus dies,

K 4

Ma-

Manifesta quàm, me vate, deprehendas
manu,

Indicia fraudis impiae, & patris nefas.
Scelus reiectum sceleris auctores luant.

C H O R V S.

Non tu monstriferis causa periclis,
Terror Taenarij, CHRISTE, Tyranni,
Non tu Romulidum sceptrum fatigas:
Sed nos foeda premunt monstra Deorum,
Culta per Aras.

Ex quo Dardanijs Romula fasces
Virtus Imperij praetulit omen;
Pugnax auspicijs Roma secundis,
Semper saeva tuis viribus vsa,
Arma laceffit.

Septem constituit Romulus arces,
Is, qui mite Lupae suserat vber:
Et, cui deposito lymphæ pepercit,
Te mulcente feras, atque refusus
Gurgitis aestus,

Idem per fugium pandit Asylo:
Idem bella citat ludicra Circi.
Auctus connubijs inde Sabinis,
Vrbis bellisonae moenia complet
Plebe feroci.

Sed

Sed tu consilium mite Senatus,
Et tu dura feri corda premebas,
Iam tum, cum Latij sceptrum parabas;
Pellitosq. Patres rauca ciebat
Buccina centum.

En quo fama gradu maxima creuit.
Tum cum, finitimis culta Bouillis,
Tellus bubus erat aduena nostris.
Haec nunc, curua sui pondere regni,
Roma laborat.

His egressa cohors finibus audax,
Terris perdomitis, trans mare portat
Longe veliuola classe furorem.
Ne tantum Dominis Albula notas
Volueret vndas.

Romanumq. vocat quidquid vbique est:
Quae tellus rutilo squallet in auro,
Qua grandes generat Pontus echinos,
Haec, quamuis dubio Marte laborum,
Ora domanda est.

Qui diues, Latio dicitur hostis;
Ferrum non alio nomine tractant:
Bellet, diuitijs quisquis abundat.
Vna haec seruitij causa Latini est,
Esse beatum.

Victrix exuuijs Orbis onusta
Vix fulcire valet Roma triumphos.

Nunc,

Nunc, exosa suas improba terras,
Ignotos, alia sede iacentes,
Somniat Orbes.

Quid cum tot spolijs, Roma reportas?

Quae de tot Populis digna subactis
Merces ad Latias ponitur aras?

Omnis flagitij causa, nocentum
Turba Deorum.

Ne quod praetereat crimen inausum,
Verum praeteriens Numen, Olympo
Vanos falsa Deos allegit omnes.


En queis supplicijs cuncta cruore
Expiat arma.

ACTVS QVINTVS.

SCENA PRIMA.

Nuncius. Flavius Clemens.

S. Ioannes.

Nunc.  Ccidimus. Vrbi reliqua quae
moestae fuit,
Interijt omnis scelere Tyaneo
salus.

Dux ille vitae certus, & sanctae Senex
Vitae

Vitae Magister integer, cuius fidem
Experta dudum Roma praesentis DEI
Auxilia sensit; Regis imperio efferi,
Ex Vrbe pulsus, vertet exsilio solum.
Quis sustinere culmen impulsum queat,
Casum minantis Regiae? magno senex
Subtrahitur oneri strenuus, iussus citos
Efferre gressus. Roma, quae sceleri patet
Omni, negatq. nemini sedem improbo,
Non recipit vnum coelitus missum Patrē.

Vtrum hic facinoris stabit incepti impetus?
Ille ne resistat artifex? aliud coquit:
Vlterius aliquid versat. O rerum vices.
Quam metuo paruis Flauijs! Casto Seni
Quid hic nefandus obsit? in tutum suas
Laudes redegit ille: cui votum est mori,
Et Patria Mundus omnis, exsiliū est leue.
Vos mihi timendum facitis artificem doli
Culmine recepti Flauio, pueri Duces;
Ne rapiat idem spiritum vobis dies,
Qui sceptrā donat: omen auertat DEVS.
Principia fraudis horreo, fraudum exitus
Detestor: Aulae dubia spes motae tremit;
Quò prona vergat, animus incertus pauet.
At sceleris auctor ipse quos agitat metus,
Rabidè furentis vsus obsequio Ducis!
Exsilia paucis; pluribus, voti impotens,
Exi-

Exitia vitae certa decernit : caput
 Ut quodque clarum est , impiam ad cae-
 dem notat .

Color oris alius, alius est vocis sonus ,
 Suspensa digitis fata delibrat minax:

Vertice superbo graditur, & Coelū ferit .

Sonuere postes Flauij . casto Seni

De more CLEMENS exit adiūctus comes

Timor sit vtinam vanus . huic vero Patri

Misero gemendus aliquis impendet metus .

Adire certum est huius ignaros mali .

Fessi leuamen vnicum Mundi, Pater ,

Decreta Regis voce cunctanti eloquar .

Ioan. Ut non loquatur lingua , de vultu pavor

Testatur imos cordis attoniti metus .

Proloquere iussa Regis . à nobis bene est .

Haec vita teli substitit iactum citra :

Consilia portum sancta secutum tenent .

Nunc. Timendum ad arcem fortis aspirat nihil .

Ergo timoris causa tu nostri es, Pater .

Vetas timere ?

Ioan. Verius, fortem hoc decet .

Nunc. Ergo dolere liceat .

Ioan. Hoc multò minus .

Nunc. Quis, te remoto, noster hic rerum status

Posthac relictis fuerit ? heu, magni senis

Et luctuosam , & nobilem Romae fugam !

Mu-

Mutare sedes cogit alienus furor .

Sed propria virtus ferre moderatè docet

Exilia, quamuis dura, grandaeuū senem .

Exire, CLEMENS, frater hunc iussit tuus :

Et classe vectū petere Pathmaeum angulū .

Fl. Cl. Quae res superba iussa Romani Ducis

Exciuit ? Ede, tantus hic Regem furor

Exercet vnde ? Syderum rector potens ,

Vt haec referrem dona properandū fuit ?

Excurret aliquis nuncius tantae rei ,

Ab Exquilina sede Domitillas domum

Qui reuocet, huius foeminas dāni inscias .

Reuocate pueros Caesares ; regni sua

Auspicia discant prima .

Ioan. Quos fletus cies ?

Miseris querelis parce ; non miseri sumus .

Si turpis esset, esset & misera haec fuga .

Fl. Cl. Si nudus ensis vndique hoc fodiat latus ,

Et flamma gazas fusa degustet domus ;

Si culmen altum Flaviae domus ruat ,

Et regna, quae nunc genere tollūtur meo ,

Latè sonora strage tollentes premant ;

Virtute cladem ferre praesenti queam :

Nec ore fletū hunc voluerē moesto, Pater .

Tuos amores testor, & vitae meae ,

Laudisq. patriae vindicem CHRISTVM

Ducem ,

AL-

Altius in animū vulnus hoc nunquā mihi
 Penetrauit vnquā. cogor, heu, cogor, patris
 Oblitus, hospes hospitis subitos miser
 De flere raptus.

Nunc. Cerne constantem fidem,
 Animiq. plenum pectus ingentis: sui
 Securus hospes, hospitis deflet fugam.

El. Cl. Te per ego CHRISTI memoriam obte-
 stor tui,

Per iura Romae sacra quae fundas, Pater,
 Te recipe latebris: publico Coelo parū
 Furare carum, sede sub nostra, caput.
 Et, si timendum frater iratus docet,
 Aggrediar, & decreta tentabo fugae
 Mollire iussae: memet opponam libens,
 Orbem vt ruinae subtraham, qui nūc sedet
 Vnius humeris huius impositus senis.

SCENA SECVNDA.

Tyaneus. Fulvius Consul.

Tya. **V**icimus: & odijs hostium in Coelo
 fumus

Bene collocatis: gaudij elatos noui
 Concipere fluctus pectus angustum nequit.
 O me Deorum maximū! quantos metus,

Quan-

Quantas ciebo generis inimici neces!
 Nunc Signa, nunc delubra, nunc demum
 Deus

Aras recepi fortiter. tandem manus
 In has superbus venit, & totus quidem,
 Cum prole tota fratris: excussa est pij
 Formido Regni: Flauium nomen fuit:
 Iuuenes fuistis, Caesares: hic vir Deūm
 Vltor, sui que, reddidit Coelo Iouem.
 Zebedeius ille, noster Agamemnon, procul
 Abstractus Vrbe, moestus, extorris, miser
 Collapsa regna cernet: & magnae spei
 Senium superstes morte viuaci, diu
 Exul, per omnes fractus aerumnas trahet.
 At hic nepotum carnifex, ductor Ducum,
 Mei minister sceleris, in poenam mei
 Seruetur odij; caede dilata suae
 Diffidia gentis paueat, Aeneadum manus.
 Et quas Deorum nunciant sortes minas,
 In se regeſtas sentiat. Stolidus mihi
 Commisit irae nuncias sortes Deūm:
 Nescius in hoste callido quantum dolor
 Vindex, & odio valeat accensum scelus.
 Sed cur moratur ante vestibulum doli
 Vindicta caepta? perge, dum pronum nefas
 Aequare secundo labitur. Nobis diem
 Dedit hāc Tyrannus: tēpore vtamur dato.

Al-

Alter fatelles facinoris Consul mei

Fulvius in ipso tempore optato aduenit.

Fulu. Quo summa rerum nostra versatur loco
Tyaneae? *Tya.* Quo non ipse si noster velit
Meliore ponat Iuppiter. centum tibi
Agitāt Megaerae Domitiū exanimē metu.
Prodigia scelerum mille vesanum Ducem
Trepido pauore differunt: sortes Deae,
Carmen Sibyllae, viscerum fibrae, nocens
Animus per Aulam raptat expertem sui.
Infesta Romae tela, patruales opes,
Imperia Iuuenū Caesarum iā nunc pauēs,
Concessa regna damnat, & fratris genus
Optasse nolit. Militum in Iuuenes duos
Propensa studia suspicax animi metus,
Auctore me distraxit, & nimias opes.

Fulu. Praesidia vitae fida cui mandat suae?

Tya. Cui me voueres ipse consulto: tibi.

In te Latini roboris partem refert,
Quem sibi fidelem sperat in dubijs fore.
Partem Sereno tribuit: in binos Duces
Sic ille capiti pube transcripta cauet.
Hac arte dubias ille suspendit vices.
Diuisa, tuta censet, infidae manus
Si motus aliquis ingruat. Tu dum mihi
Dilucet aliquid melius, adscriptam tibi
Hanc redige partem pubis, & dono libens

Vte-

Vtere Tyranni: caetera expediet dies.
Et si, quod animo verso, iam dudum Deus
Euoluet aliquis, me vide, speres tuam
Iuuenum duorum praerogatiuam fore.
Transigere tecū Ductor hoc ipsum cupit.
Adire cessas? Abijt. vrgebo nefas.
Vertatur aliò fraudis instructae dolus.
Vt victimarum signa, polliciti memor,
Manifesta fati terrore pandam Duci.
Ritus Magorū notus: vt tempus monet,
Ornabit astitus fronte pellaci meos.
Credula iuuentus Caesarum vultū Patris
Aspiciat in me, falsa simulamen viri,
Specimenq. fallax oris, & gestum grauem
Imitabor. Atra nube subtexe aethera
Molitor omnis fraudis, umbrarum Deus.
Criminis sator triformis Clari vastator, &c.
vt supra Act. I. Scen. 2. pag. 22. 23.

SCENA TERTIA.

Falsus Clemens, hoc est Tyaneus. Ve-
spasianus, & Domitianus
Caesares. Chorus.

Fal. Cl. **C**omposita ficto verba conabor so-
no,

L

Et

Et moesta digito effata perpendam graui.
 Laus prima Regis, regere violentum impetū;
 Reputare memori sēper hoc animo decet,
 Quid facere Domini debeant, Ciues pati.
 Imperia nemo dura tolerauit diu.
 Quò te leuauit altius flatu DEVS
 Nimium secundo; spiritus hoc te magis
 Decet insolentes premere, metuentē DEI
 Nimium fauentis fulmen arcanū, & manū
 Vertere valentem summa momento breui.
 Ego ne superba sceptrā demirer Ducum?
 Aut esse quidquam stemma, nisi vano rear
 Splendore fallax nomen, & mendax bonū?
 Fuit, & fuisse tempus aliquando dolet,
 Cū me superbè ciuium supra modum
 Fortuna gentis altius regno tulit.
 Sed fregit illos spiritus regni frequens
 Instabilis error; isq. qui regnum dare
 Potuisset alijs, sponte quod nobis dedit.
 Nisi falsus aures impulit Paeā meas,
 Iuuenes quātes commodū in nostros dolos
 Induit amicae pubis incautus fauor.
 Nimis obsecundat fraudibus noster dies.
 Precario nunc ore quid possis vide,
 Vt destinatas victimas reddas reus.
 Tyance, nunc te vince; quid timido pede
 Segnis resistis? perge: non parcis tibi

Si

Si parcis illis. Scelere te quanto implices
 Nil deinde sentis? Vnde tam subito nouae
 Probitatis animum sensus infuetus citat?
 Tam molle pectus esse non nostrum solet,
 An falsa species oris alieni, quoque
 Animos parentis ingerit? CLEMENS pius,
 Effictus etiam, prohibet alienum nefas?
 Simulare vultum mitis an nequeo viri,
 Nisi mite pectus pariter affimulē Patris?
 Aude. quid haeres, anime? quae sequeris,
 vide;
 Nō quae sequuntur. Serus est sceleris pudor,
 Vbi robur omne mentis exhaust scelus.
 Si sūma fraudū petimus, ad fraudū gradus
 Deficere primos, segnis, & stulti est, reor.
 An innocentes hosce demittes neci?
 Perdat nocentes innocens: sed tu nocens
 Perde innocentes: criminum auctorem hoc
 decet.
 Nil deinde meritos puberes fraude oppri-
 mes?
 Quid gentis auctor meruit, infanti nece
 Defūctus ante, CHRISTVS? imitētur DEVM.
 Aut Dux putatur CHRISTVS, aut illis
 DEVS.
 Si Dux; habebunt funeris clarum Ducem:
 Si DEVS; habebūt praemiū caedis DEVM.

L

2

Pie-

Pietas rebellat rursus, & gressum tenet.
 Excede pietas: esse sceleratum iuuat.
 Hæc vita nostra est, fraudis infandæ modū
 Nescisse nullum. criminis non est meum
 Pigere coepti. perge, quò pergis, furor.
 Iuuenes, inani gaudio ad quem se modum
 Iactabit animus vester? incertae spei
 Cohibete sensus: regite iuuenilem impetū.
 Iuuenile vitium est pectoris fluctu rapi.
 Imperia, quāuis magna, momento effluūt.
 Resipisce, Domiti; Vespasi, menti impera.
 Mea vota, potius vestra, consensu pari
 Laetitia geminet. iura Romanae rei
 Tenere CHRISTVM nuncio.

Dom. Cuius fide?

Vesp. Falsos ne genitor haurio, an veros sonos?

Dom. O me beatum! vera si narras, Pater.

Vesp. Tanti quis autor muneris, quaeso, fuit?

Fal. Cl. Patruus. *Vesp.* Domitius? *Fal. Cl.* Ipse.

Dom. Quis, quaeso, Pater?

Quae causa subitam Patruī exciuit fidem?

Fal. Cl. Causae docēdae tēpus haud vnquā perit.

Nunc id, quod instat, Filij, dum se calor

Intendit acer Patruī, mecum pias

Fouete flammās.

Dom. Nescio qui nam mihi

Gaudia coortus contrahit subitus metus.

Am-

Vesp. Ambiguus animus dubitat: & secū putat,

An certa memores: pace quod liceat tua.

Fal. Cl. Angustus animus, nec sui voti capax,

Si laeta nimium nuncias, sensus suos,

Respuere solitus vota, quae nōdum capit,

Timet; suoq. gaudio nectit moras.

Sed vos pauorem corde securo pium

Arcete, Nati: melior & sensus ferat

Ad prima vota pectus. Haec sacrae necis

Monumēta Patruo ferte, gēmatas Cruces,

Auctore me. Mox ille, virtutis nouae

Elatu aestu, plenus & nostro DEO

Hic aderit: & vos mente complexus pia,

Volet esse CHRISTI regna, quae vobis

dedit.

CHRISTO dedisse nomen, & castam fidem

Nos obligasse, laetus audiuit modò:

Doletq. tantum, nosse quòd nobis prius

Licuit, quod ipsum latuit ignarum diu.

Ego nunc reuisam iussus huc, quidnam rei

Meditetur ipse: miror Augusti moras.

Vos, laeta CHRISTI secula & numen potens.

Celebrate cantu, dū licet: vos haec quoque

Laetitia tangit, Puberes: hunc in chorum

Sociate laudes. euge, laetari decet.

Redeunte seculo, sancta virtutum redit

Series; & Orbe CHRISTVS excussit Deos.

L 3 Mi

Cho. 1. Miseris tandem dia voluptas
Vbere pleno gaudia laxet,
Comes ingenuae laudis, & almae
Pronuba lucis.

Cho. 2. Patrij vindex CHRISTVS honoris,
Victor scelerum, pacis origo,
Adsit, honesta tempus vtrumque
Iride cinctus.

Cho. 1. Adsit, & acres corde timores
Solvat, & Vrbi laeta redonet
Syderas; vultu moesta sereno
Nubila pellens.

SCENA QUARTA.

*Tyaneus . Imperator. Vespas. & Do-
mit. Caesares. Flavius Clemens.
Praefectus Militum. Ful-
vius Consul.*

Tya. **E**Xamen illud, Domine, Christi adum
vides?
Duces ouantes agminis primos caue.

Imp. Iuuenesné cerno Caesares, fratris genus?
Conditio Regum dura! quem fidū putes,
Anceps in illo genere si variat fides?
Hoc illud ergo sceleleris occulti iugum?

CHRIS-

Vesp. CHRISTI patere numen, & veri iubar
Fulsiſſe menti, Domine, laetamur tuae.

Dom. Pignus salutis, fratris hoc donum cape.

Fl. Cl. Praepropera, Nati, vota quis nimium cito
Perdere coëgit gaudio? heu miserū Patrē!

Imp. Haec dona regno, frater, accepto refert?
Haec pretia trabex? laureæ reddit Cruces?
Funere perire regio saltem daret:
Seruile Regi mortis intentat genus.

Fl. Cl. Res acta. tota funditus quatitur domus.
Iā mitto nomen Caesarum. heu rerū vices!
Discrimen vrget vltimum miserā domum.
Vitae labores vltimos, quaeso, bonus
Aspice; parentes, liberos, neptem vide,
Rex CHRISTE, Regum.

Imp. Foede quem CHRISTVM crepas,
Hostis Deorum turpis? hos hostes alis
Turpes Deorum? fraude qua laesus, mea
Regnum rependis morte? patruelis manus
Contaminare caede patrueli paras?
Hæc merita de te fratris? hæc fratris fides?
Hæc sancta pietas sanguinis? Palles; paues:
Mussas; reperto scelere quas voces dabis?
Odium Deorum turpe, fabricator doli,
Malè me putasti, criminum labes virum;
Certare mecum scelere si tutum fore
Tibi, tuisq. reris, infandum caput.

L 4 Di-

Fl. Cl. Diluere possim cuncta, si frater, velis
Audire pauca.

Imp. Verba quae frustra vomes?
Facti tenetur scelere manifesto fides.
Non sic abibis: odia (ne viuam) nisi.
Seruate fratres Regiae scriptis duos:
Arcete patrem saxeo inclusum specu.

Praef. Qua fraude fontem, Caesar, includi iubes?
Indigna clamo iussa. rescindam manu
Decreta. Contra siste: prohibeto nefas:
Hoc facinus arce, Miles: addensa globum.
Tya. Subtrahe periculo, Caesar, indignum caput.
Defende tela, Consul: Augustum tege,
Cuius salute Ciuium constat salus.
I, fortis, enses inter: infestos tene.

Imp. Vis mihi paratur? adeone imperiū est leue?
Adeone vili est laesa Maiestas Ducis?
Ingrata Roma, cernis hoc tantum nefas,
Et inulta cernis? Ite; collatis micent
Vicina signis signa. contempti Ducis
Decreta forti vindica, Consul, manu.

Fulu. Deponis arma, citius ae dico, ferox,
An hostis arma contumax Romae moues?

Praef. Quis tu, Magorū miles? En, si quid vales,
Obsiste contra: confere audaces manus.

Fulu. Distringite enses, Milites. *Praef.* Lato via
Limite per acies media ducatur duas.

In-

Fulu. Instructa telis legio compositis ruat.
Tya. Strepitusnè raucus aeris inflexi meas
Perstringit aures? ò meum vere diem!
Ad hos resurge caedis horrores nouae,
Anime; cruentum, teste te, fiat nefas.
Et, teste te, si fiet, hìc vllum scelus
Non fiet vnum. Romulas noui manus,
Auctore in ipso caede fraterna rubras.
Simplex ferebam; multiplex crimen meto.
Foenore feraci crimen hoc nostrum redit.
O nostrā tandem numina! ò festum diem!
Ita Colchis olim, dente vipereo fatas,
Spectabat acies, segete cantata, duas
Versis coire in mutuas hastis neces.
Obuersa telis tela bellantum micant.
Horrore primo corda morituris pauent.
Sed ille pallor oris, vt quondam cinis
Bibulus, liquorem sanguinis, credo, sitit.
Vt haec viderem Caesar hunc donat diē.
O me beatum! numen ò verè meum!

SCENA QVINTA.

Nuncius. Chorus.

Nunc. **I**nter ministros regios vultum tuum,
Caesar, requirit hospes. hinc intrò redi.

In-

Indigna miseri Patris an dignè queam

Exempla questu flere miserando satis?

Cho. Exempla cuius misera, quae portes, doce.

Nunc. Animus referre visa si poterit tamen.

Est in recessu Regiae sedis locus,

Post spatia vulgò trita, centenis retro

Porticibus actus: laeta non illud dies,

Non clara species Solis excelsi videt,

Tenebris opacae noctis horrendū, specus.

Tabo recenti lubricus squallet locus,

Squallet vetusto: ferreis vncis fores

Praefixa circum capita sanguineis rigant

Rorata guttis. quisquis infausti Ducis

Perstrinxit animū civis, aut hospes metu,

Incerta certo scelera supplicio hìc luit.

Cho. Istum execratur fama feralem locum,

Et caede multa tabidum pridem specus.

Heu, omen etiam sedis horrendae horreo.

Nunc. Huc, ex pauore sospes, & rixae minis,

Domitius ira tumidus: heu miserū patrem.

Cho. Patrem ne miserū nominas? miseri sumus.

Satis est. perimus. prome, quae restāt, cito.

Nunc. Nondum peristis; vita sed pendet leui

Suspensa filo; scelera ni prohibet DEVS.

Huc Caesar, ardens scelere, contrudi iubet

Fratrem, volentem multa pro causa loqui,

Omnia tacentem. Regis ad nutum statim,

See-

Scelerum satelles, turba carnificum ruit.

Quid reliqua fari cogitis? nimium viro

Indigna tanto facta plorentur prius.

Cho. Heu, pater honestae lucis, heu lumē, pater:

Quae mihi futura est vita, te raptō, Pater?

Nunc. Malè ominari parce. Ni peius Ducis

Decreuit aliquid ira, nunc vitae super

Est ille, Iuuenes. Flere vel si illum libet,

Deflete tantum squalido inclusum specu.

Cho. An peius aliquid restat? heu pater, heu

pater:

Inopum leuamen ciuium, custos togae.

Nunc. Iuuenum gementum miseret: heu moe-

stum gregem!

Vix imperare fortiter lacrymis queo.

Quo reliqua sensu puberes miseri audiant,

Si prima tactum vulnera ad primū pauent?

Nondum, decora chlamyde discissa, grauē

Virum per amplas porticus raptū audijt:

Non lacera flagris terga, non ferro pedes,

Manicis onustas audijt nondum manus:

Non tunsa palmis ora; non raptā comam:

Vibice non dum membra liuenti nigra.

At quae dolenter caeteri meritò fleant,

Haec ille, placidi cordis excelsus statu,

Speiq. magnae certus, & risu mali

Nubem se enat, mortis & spernit minas.

Quae

Cho. Quae fors duorum Caesarum clauso est patre?

Nuno. Ambigua: sed quae verget in melius, puto.

Patruale clauso, sede diuersa furens

Ad facinus aliud patruus accingit manus.

Aggressus ante voce blandiloqua duos

Tentat, paternae mentis haeredes, Duces,

Excudere CHRISTVM penitus ex animo,

ut velint.

Cho. Ad haec quid illi?

Nunc. Patris exemplo calent

Magis, magisque: seq. per spretas opes

Irritat ardor, mortis, & vitae potens.

Adulta virtus indole inuicti patris,

In genere promit laudis inuictae decus.

Cho. Et patruus aequo spectat haec animo ferox?

Nunt. Nondum procellis stridet iratum mare:

Sed intumescit: interim Iuuenam tegit

Naufragia. Non est mitis irarum tumor,

Cum se per ipsas scelera dissimulat moras.

Post blanda Regum verba succedit furor:

Illecebra non est tuta, quae differt minas.

Sed ipse prodit. Horreo aspectum trucem

Iam nunc minantis: illa me nubes mouet

Imposita fronti. hinc este vos, Iuuenes,

procul.

SCE-

SCENA SEXTA.

Imperator. Vespas. & Domit. Caesares. Tyaneus. Mystra.

Imp. **S**Tatuite tandem; patris, an patrum genus
Malitis esse. *Vesp.* Patris, & patrum simul.
Si modo licebit.

Imp. Hostis est patruo pater.
Nunquam licebit.

Vesp. Hostis est noster quoque,
Si quid minatur patriae, si quid tibi,
Patriae parenti. *Dom.* Patriae sed si nihil,
Si nil parenti patriae; cur non licet
Patrum, & Parentis esse non hostis genus?

Imp. Hostem negatis esse, cui nullus pudor,
Nec cura iuris vlla, nec Diuum metus
A scelere diro redhibet audacem impetum,
Ne parricidas afferat fratri manus?

Vesp. Spectata virtus Patris est Romae fatis:
Placidumq. pectus in DEVM, in patriam,
in suos

Vbique narrat. *Imp.* Ista nunc ergo fides,
Placidumq. pectus exiit Coelo Deos;
Patriam quiete; spiritu, & regno suos.

Vesp. Merito ille falsos exiit Coelo Deos;

Pa-

Patriae ut salutem reddat, & Coelū suis.

Imp. Qui templū CHRISTO ponit.

Dom. An CHRISTO neget

Delubra tellus, astra qui terrae dedit?

Imp. Tunc, credo, cum fugabat emoriens diem.

Vesp. Tunc, cum pudebat astra non nosci DEVM.

Dom. Tunc, cum reduxit lucis aeternum iubar:

Et, Dite domito, regna restituit Patri.

Imp. Tantum ex latronum Rege manavit boni?

Vesp. Illo ex latronum Rege, qui Mundum suis

Implevit omnem laudibus; cuius manum

Effractus Erebus sensit; & turpi iugo

Exempta tellus: cominus quē haud hostiū

Impune petijt vllus. *Imp.* Et qui sanguine

Vndique fluenti lauit expirans Crucem.

Dom. Ergo per istam, scelere deleto, Crucem

Respirat Orbis, sponte quam victor tulit.

Imp. Quo teste? *Vesp.* Mundo.

Imp. Cuius auspicijs? *Vesp.* Suis.

Imp. Qua vi? *Vesp.* Paterna.

Imp. Nempe mortali? *Vesp.* DEO

E Patre sumpta. *Imp.* Filiū gignit DEVS?

Vesp. Deumne, Caesar, esse foecundum abnuis?

Qui tot volantum secla generatim iubet

Resonare sylvis: igne qui crebro polum

Concelebrat, vndas piscibus, terras feris,

Praeseminato genere vitarum omnium,

Non

Non generet ipse? Sterile sit numen DEO?

Imp. Qua Matre, quaeso, generet?

Vesp. Omnino viri

Experte, prorsus Virgine. Humano caret

Parente, si requiris in terris Patrem:

Sed si Paternum quaeris in Coelo genus

Miscere Matri mitte coelestem Patrem.

Imp. Bis natus igitur colitur à vobis DEVS?

Portenta rerū credere haec nil vos pudet,

Quae mira vobis mille Iudaei canunt?

Vesp. Haec mira sunt, sed vera: quae vulgò DEVS

Differuit ipse nuper: & certò palam

Prodigia rerum mille fecerunt rata;

Profitente Coelo Patris aeternum genus,

Et hoste teste. Credere haec, vulgò omnibus

Testata terris, non pudet nos, sed decet.

Imp. Arguere quamquam dicta stultorū queo,

Certare verbis tandiū non est opus.

Delira cordis somnia, ac dico, ocyus,

Exuite: numen colite Romani Iouis:

In igne positi thuris exsudet vapor.

Huc ferte signum: thuris huic donū date.

Vesp. Huc ergo Numen ire, nisi latum, nequit;

Iuvenes ferendo segne lassari veta,

Auguste, pondus. *Hic fertur simulacrū.*

Imp. Regis imperium abnuis?

Aggerite flammās: struite feralem pyrā:

Dissi-

Diffibulata chlamyde, nudatos cito
Inijcite flammis impios natos Patris.

Tya. Caesar, parumper reprime furiale impetū:
Flagrare Iuuenes, inscios rerum, veta.
Iuuenum huc vocari potius auctore iube:
Zebedaeus istis auctor, & suasor fuit:
Dissuasor adsit ipse Zebedaeus senex.

Imp. Ex Vrbe senior extulit nondum pedem,
Exilia iussus petere longinqui maris?

Tya. Non ille: latebris hospitē CLEMENS tegit.

Imp. Decreta vester nostra contempsit Pater?
Soboles, amici Patris exemplum vide.
Iudaeus iste donec accitur Magus,
Ego mite Numen Palladis supplex colam,
Et instituto vota concipiam sacro.
Consulite, Iuuenes, interim in medium;
breuem
Deliberandi copiam vobis damus.
Decernite in commune.

Vesp. Decretum est satis.

Imp. Haec claustra densa, Miles: Emuni manu,
Effugia nequa suadeat clausis metus.

Dom. Ne metue: nullus terror hinc clausos fu-
gat.

Ad haec redirem claustra: cur hinc exeam?
Tam male locavi vota?

Myst. Simulacrum Iouis

Au-

Augete, Iuuenes, thure.

Vesp. Sic miseri haud fumus,
Vt tibi videmur. pergis, impurum scelus?
Non marmor emoliris hoc surdū & rude?
*Hic simulacrum deijcit, & proculcat
Vespasianus.*

Dom. Virtute patria, macte; sic fortem decet.

Myst. Proh facinus audax! pedibus obculcant
Deum.

Ignosce crimen, Iuppiter, Iuuenū, precor.
Impune visum, quaeso, sit saltem mihi.

Vesp. Quis hic in imis ossibus serpit calor
Domiti? *Dom.* Medullas mollis afflatu leui
Emulcet aura: pectus inspirat DEVS.
Agnoscis almi numinis sensus pios?

Vesp. Indicia recolo. Numen ò numen bonum!
Excipere plenos, frater afflatus licet?

Dom. Licet, libetq.: pande sis omnes sinus
Aurae influenti; funde taciturnas preces.

Vesp. Nescio quid instet. entheus, solito amplior,
Insinuat ardor: magna sunt sensu mala,
Quae lenit, ante prouidus tantò, DEVS.

Dom. Impetus ad illa cordis impense licet
Incumbat omnis, sceptrum quàm sordent
Ducum!

Quàm pallet aurū! vt laurus arefcit leuis,
Prae largioris numinis tactu nouo!

M

Hoc

Vesp. Hoc stēma fluxi decoris, haec laurus breui
Caduca frōde, valeat. *Dom.* Inuisum bonū,
Et inuidendum Caesarum non sit meum.
Si nunc reposcit, sponte reddatur DEO.

Vesp. Potiora meditor, docuit vt dudum Pater.

Dom. Abiecta iaceat palla: meliora expeto.

Vesp. Malumus inermes esse, si CHRISTI sumus.
Insigne belli hoc reīpuo.

Dom. Exarmo latus.

Harpen remitto: pectus armaui fide.

SCENA SEPTIMA.

*Falsus Ioannes, qui est Tyaneus. Vespasianus, & Domitianus
Caesares. Ephebus.*

Fal. Io. **Q** Va fraude sūeuit saepe mentitos
Magus

Induere vultus, ora Zebedaeij senis

Simulata Magicis gesto Tyaneus dolis:

Miscere promptus arte fallaci omnia:

Turbare Iuuenum corda: coelesti impia

Regi mouere bella: permixtum simul

Cōuoluere aequa, iniqua; superos, inferos;

Infanda, fanda: vera, falsa: haec me decent.

Haec

Haec vita, Iuuenes: petitur hac Coelū via:

Sic pergite, aucti luce diuina: meae

Pars prima laudis.

Vesp. Vnde te missum DEVS

Adesse nostris voluit aerumnis, Pater

Optate multū? *Dom.* Rebus in sūmis adess:

An nos amico lumine aspexit DEVS?

Fal. Io. Erigite fessum, Caesares, corpus; meo

Pendete collo. *Vesp.* Caesarū nomē, Pater,

(Huc recidit ille splendor) effluxit breui.

Dom. Res est in arēto nostra; moriēdū est, Pater.

Fal. Io. Meliora, Superi. pectus inflexit meum

Querela Iuuenū misera. Cur horror quatit

Insuetus artus? humor an falsus mihi

Iniussus ore manat? haec nostri quota

Pars est facinoris? anime, mansuescis male.

Recede pietas. Capitis Augusti notam,

Colligite laurum, Caesares: cur hic iacet

Abiecta temere? regium certē latus

Decebat harpe: forte gestamen, puer,

Recinge lateri: chlamydis hoc pietae decus

Humeros decenti regio cultu tegat.

Quid corde gemitus, Vespasi, ex alto tra-

his?

Domiti, quid isto diluis fletu genas?

Vesp. Coeleste regnum mente cōplexus, Pater,

Vltro haec recuso scepra Romanae rei.

M 2 La

Dom. Labefecit animum sensus, vt spero, pius.
 Dum stēma fronti redderes, quiddā mihi
 Fieri putabam simile, quod pectus meum
 Persaepe dulce tentat. Vt quondam domo
 Natus paterna profugus, effusis bonis,
 Et helluatus patriae sortem rei,
 Diues, repente pauper, ad mitem Patrem
 Se se recepit: vtq. redeuntem obuiam
 Progressus, illum splendido cultu Pater
 Ornauit vltro; mente recolebam memor.

Fal. Io. Exempla facti haec nescio: & quiddā reor
 Gentile narrat: nosse videamur tamen.
 Dissimile nō est, Caesar, exēplū, & placet.
 Ad laeta vultus, filij, redeant boni:
 Nā lata porto. *Dom.* Fare: sat salui sumus?

Fal. Io. Plane sat estis. *Do.* An pio Patri est bene?

Fal. Io. Immo beate est, aequa si patri genus
 Tribuat roganti.

Vesp. Liberūm est, supplex Pater?
 Cur, si beatus? genitor, vt video, est miser.

Dom. Nisi miser, isto nemo degenerat modo.
 Quae res ad humiles cōpulit Patrē preces?

Fal. Io. Publica bonorū causa, Christi adū status,
 Commune terrae gaudium, Romae salus,
 Matris, sororis omnium, namq. haec simul
 Omnia peribunt, impetrat nisi ius Pater.
 Supplex paternus ipse sum; per me rogat

Ge-

Genitor potentes liberos, veri Ducem
 Verum sequentes. Ille per Superū fidem,
 Per iusta CHRISTI regna, p. tetrū specus,
 Indigna vos per vincla, quae gestat miser,
 Per facile vestrum, liberi, ingenium Pater;
 Per Matris, & Sororis officia obsecrat,
 (In vos parentes ora retulerunt pij)
 Per me Magistrū gentiū, & Romae exsulē;
 Ne vester ardor mortis obeundae citus,
 Et comprimendus, Patris extremum diem
 Festinet, orat: dona ne demens eat
 Haec imminutū, ac perditū, quæ vos DEVS
 Dat ferre, generis damna miseratus pij.

Vesp. Cur verba longo multo circuitu seris,
 Si poscis aequa? fare quid poscit Pater?

Dom. Faciles paternas filij excludant preces?

Fal. Io. Scit ille vestrae mentis ardores sacros:
 Nouit furentis Regis imperium: Ioui
 Vos abnuisse thura; nec Regis minas
 Expalluisse, laetus audiuit: DEO
 Laudes rependens, prole se tanta vocat
 Nimiū beatum. Siqui, quod sperat, preces
 Accipitis aequas, certa confidit fore
 Romulea CHRISTO sceptrā, quae CHRIS-
 TVS dedit

Vesp. Vtinam liceret: alia nunc longè, Pater,
 Facienda vota. *Dom.* Dura cōditio Ducis

M 3 Haec

182. FLAVIAE TRAGOEDIAE

Haec est: patruales liberos hostes vocat.

Hostibus an ille Regna det nobis? quibus
Eripere pugnat spiritum, Coelum, DEVM?

Fal. 10. Pugnet. sed audax facinus eludi potest,
Et facile frangi Regis insani furor.

Reges, tumentes impetus primos habent;

Mox detumescens ira paulatim redit,

Et cordis aestus ille violentus fuit.

Cito quiescit ira, quae surgit cito.

Momenta vites prima: dein tutò furit.

Dom. Quò sermo longo pergat anfractu, moror.

Fal. 10. Huc eo. Tyrannus thura si quando Ioui

Adolere durè iusserit; ne quid furor

Constituatur aliquid durius, memores Pater

Vt sitis, orat, posse vos surdo Ioui,

Pietate salua, thuris in speciem sacrum

Fundere vaporem; corde sub puro modò

Obstricta CHRISTO casta seruetur fides.

Hoc Roma poscit, Patris hoc moeror ro-

gat;

Hoc dubia gētis, fessa Christi adū hoc salus,

Seniq. nostri exilia, DOMITILLAE hoc

petunt.

Vesp. Proh casta virtus! magne proh rector poli!

Concussit artus horror: exanguis tremo,

Vt execrandi sceleris accepi sonos.

Dom. Oculis ne verū specimen adipiscor Patris,

An

ACTVS V. SCENA VII. 183

An hostis? audi scelera, quae suadet vafer.

Nec tu parentis optimi vocem sonas,

Nec tu Magistri maximi pectus geris.

Vesp. Nec te sequemur. Fraude lusisti satis,

Cur petimur astu rursus? impositos dolos

Exue. perire cernis insontes: licet

Perire tandem: perge: viciisti: fat est:

Bene habet. quid vltra tendis? occidi iube.

Hoc restat vnum quisquis es.

Fal. 10. Fraudis meae

Hic ausus haeret. ilicet; nihil hic mouet.

Immota virtus cōstat, & pelli haud potest.

Recta ad Tyrannum hinc pergo. successu

irrito

Frustrata fraus est: viribus nunc est opus.

Ephe. Iuuenes, ad aedes intinas patruus iubet

Vos ire: miseris metuo nunc vobis nimis.

Vesp. Miseranda non est nostra conditio, puer.

Ne querere. Frater, perge cōstanti gradu.

Animi, Sodalis, sume monumentū hoc mei;

Haec decora regni patruus, vt repetat,

dedit.

Haec nostra saltem dona sunt; dono vttere.

Dom. O si Paterni tempus affatus breue,

Et, ò sororis detur aspectus mihi.

Vesp. Nos ire quò nam patruus iratus iubet

Procul ab auita sede? Clementis Patris

M 4 Non

Non licuit ora cernere: amplexu vltimo
Explere non officia morituris licet.

Dom. Quid auguraris Vespasi? (quod nunc tibi
Nomen relictum est: illud Imperij perijt)
Quid auguraris, frater?

Vesp. Et faustum, & bonum.

Dom. Quò nos Tyrannus mittet?

Vesp. Ad CHRISTVM puto.

Dom. Est digna merces. Forsan & vita haec emi
Funere duorum Caesarum rectè potest.

Vesp. Valet, Ciues plurimum. Haec vitam dies
Si sūma claudet, patriae, quaeso, haec simul
Narrate. Vitae flore frustramur breui:
Sed quod sepulcrum puberū par hoc teget,
Idem quietae pacis, & regni bona
Consilia placidi multa morientum teget.
Te, CHRISTE, testor, astra qui nutu cies,
Et magna maior regna Dardanidū moues.
Patriae salutem in patria, & regnum tuum
Quaefisse regno patruī nostrum genus.
Tranquilla Romae iura Clementem Pa-
trem

Spectasse semper: laureae donum breue
Spreuisse fratres. Ille nunc autor togae
Clemens quietae, squallido arcetur specu
Immeritus, insons, integer, demum tuus.
Insons sequebar natus insonem Patrem:

Nunc

Nunc morior insons; moritur & mecum
hic meus,

Insons & ipse, frater, auulsus suis.

Tu, qui recessus cordis arcani subis,

Et cui repostae pectorum fibrae patent,

Si vera testor, iusta si iustè precor;

Quod in merentem crimen vlcisci potes,

Ignosce potius; aſſeras & nos tibi.

Orata causa est. perge quò patruus vocat.

Dom. Animo recurſat Paeon hodiernus meo:

Paeana festum, frater, iteremus, licet.

Humana mutat regna diuino DEVS.

Age Dardania Regis ab Aula,

Fronde remota, Regis in Aulam,

Aucte secundo Omine cum bono

Numine, frater, Omnia transfer.

CHRISTI fuimus, Ter cane mecum,

Erimus CHRISTI. Vicimus lo.

Vesp. Vnica mearum cura qui rerum es super
Germane: quem nunc vltimum in tempus
ducem,

Quid mox sequatur, inſciū, ignarus sequor:

In te supremi temporis saltem finas

Officia solui: iunge complexus pios.

Dom. O frater exoptate, quem solum mihi
Erepta post Imperia, post Patris situm,
Post Matris, & Sororis orbatam domum,

Co-

Comitem reliquit rebus in summis DEVS:
 In quem parentum summa conferrem piè
 Officia: mentis dona fraternae haec cape,
 Quae tibi rependit grata morituro fides.
Vesp. Te mihi paterni generis, & primae locus
 Coniunxit Aulæ, frater.

Dom. O Coelo DEVS

Accipiat ambos. Iunge complexus pios.
 Valet, Ciues; Patria, aeternum vale:
 Animi, Sodalis, pignus hoc nostri cape.
 Cautè tuere munus: & vitam, & necem
 Accipis in isto munere: haec Coeli est via.

SCENA OCTAVA.

Paredri.

DVx noctis Hesperugo
 Extrudit Orbe lucem:

Dolos retexet umbra,
 Quos clara lux tegebat.
 Nos fraude perpetrata
 Poenae reposcit Orcus.
 Heu quid cruenta Roma,
 Quid Aula nos iuuabit?
 Polluta caede Fratris,
 Orbata prole Matris,
 Quid nos iuuabit Aula?

Et

Et rapta paruulorum
 Spes innocens Nepotum?
 Et integellus aevi
 Flos ille binus Orbis.
 Nostro recisus astu?
 Quid pulsa Mater Vrbe,
 Quid Vrbe pulsa Virgo?
 Quid exsul ille veri
 Auctor, boniq. custos
 Orisq. fulmen ardens,
 Mentisq. flumen altum?
 Vexata quid Senectus,
 Extincta quid Iuuentus?
 Quid squalor Urbis aegrae?
 Quid moeror Orbis orbi,
 Si maius inde ducet
 Olim decus Nepotum
 Vastator Inferorum
 CHRISTVS DEVS Deorum?
 Si maior inde Patri,
 Matrique, Virginique
 Per ora posterorum
 Itura fama surget?
 At nos scelus peractum
 Duro reposcit Orco.
 Mercede qua nocentes?
 Moerore sempiterno.

SCE-

SCENA NONA.

S. Nereus . S. Ioannes . Nuncius .

Chorus .

Ner. **Q**uem DEVS acerbis statuet aerumnis
modum ?

Nullumne finem luctus inueniet, Pater ?

Ioan. Inueniet : at sunt fera, quae spōdet DEVS .
Animo subesse cladibus nostrū haud decet
Genus futuris: finge te damnis parem :
Humi iacentem subleuet mentem fides .

Ner. Non causa me priuata; communis mouet .
Nunc pande quidquid CHRISTVS in lon-
gum trahit .

Ioan. Arcana sunt, quae nube sub densa tegit.
Sed illa tandem mille post menses DEVS
Euoluet, & manifestus in apertum dabit .
Finire nostro malit exilio mala ,
Malorū an aliud agmen exilio hoc trahat,
Nunc (vt recenti numen in sensu fugit
Aciem) explicare nescio : regnum velit
An esse proprium Flauijs demū haud scio.
Longinqua moueo: fera nūc fando sequar.
Septem procellas, turbine excitas nigro ,
Instare nostris rebus audistis, reor .

De-

Defa euijt vna: dirus hanc CHRISTI Nero
Conciuit hostis: cessit excessu haec Ducis.
Sex quae timentur, imminent. Heu, heu, viros,
Heu quantus vrget foeminas Regū furor!
Cūm saeua rabies, igne furiali incita,
Ferro, ruinis, fluctibus, flammis, feris
Quidquid erit acre, quidquid ingenuum
hauriet .

Exsilia iam nunc misera, pauperiem, famē,
Vincula, metalla, damna, lanienas, luem,
Exitia cerno, & multiplex mortis genus .
Infecta tabo spatia terrarum, faces
Iā nunc per amplas video grassari domos .
Oculos relucet ante LAURENTI rogos :
Visusq. flagras ante, VINCENTI, meos ;
Castum lupanar LUCIAE video; & tuas,
CATHARINA, rapidas mole strideti rotas.
CAECILIA nō me praeterit: nec me fugit
Innupta, nupta splendidis AGNES toris :
Aliaeque centum: casta quas CHRISTO fides
Denubet olim Virgines: quarum genus
Nunc laudat; olim terra cantabit neces .
Post haec quiescent bella : virtutum cohors
Impune terris ibit, & niueo Fides
Velata panno, & Pacis optatae decor ,
Custosque veri Candor, & mitis Pudor .
Immo haec Deorū secla, quæ, stultè impius

Epu-

Epulatus aris mille, Romanus nouat,
 Tempus erit alijs mille cùm téplis DEVS
 In melius olim referet: & coetus pios
 Stipabit aris, igne coelesti citos.

Iam mihi decora regna Romuleae rei,
 Quae praepotenti Flavius tradet Patri,
 Constante Chloro, natus, astrictor pius,
 Et facta clari generis ostendit DEVS,
 Tranquilla iam nunc secla SYLVESTRI
 patent,

Accepta templis: Roma quae centū sacrat
 Delubra cernos; quaeq. Mygdonio locat
 Decorata faxo; quaeq. regifico colit
 Instructa sumptu; quaeq. perducto super
 Opulentat auto. Fama Romulidum vetus
 Effusa terris omnibus, toto licet
 Volitarit Orbe, & Solis aequarit fugam;
 Tamen Orbe, quidquid celebrat, est victo
 minus.

At decora casti generis, ignotas procul
 Complexa terras, inferet Coelo DEVS:
 Et Orbe quicquid maius est, Solis vias,
 Lunae & labores tollet euectum supra.

Nunc. Quae me procella, nube violenta, procul
 Differet, & inter horridos turbo Getas
 Effundet? aut quae saxa resupinus terit
 Atrū Prometheus vulturi praebens iccur:

Aut

Aut qua Suarnus rigida Riphæo gelu
 Hospitia, vel non praebet, aut scelere in-
 quinat

Ferus, hospitali caede cōmaculans dapes?
 Quo dira Regis sacra ploratu querat?
 Romam, an Corinthum; Domitius, an
 Atreus tenet?

Cho. Quae monstra peperit Aula, Pelopeiae,
 aemula?

Nunc. Periere cuncta. Flaviae gentis status
 Corruit; & Aulae culmen incubuit sibi.

Cho. Excidia nostra plorat. exponi iube
 Quaecunque vidit, dira sint quāuis, Pater.
 Durata magnis corda gestamus malis.

Ioan. Proloquere seriem criminis: causam scio.
 Nec quaero, q̄s sit auctor; at quaero modū
 Criminis.

Nunc. Imago sceleris insueti meis
 Oculis inhaeret fixa; nec credit sibi
 Alienus animo sensus: attonitus stupet,
 Potuisse fieri, facta quae cernit, putans.
 Post haec clientum spatia, populorum pede
 Protrita, tacitus aede penetrali locus
 Intrò recedit, Flaviae genti sacer.
 Gentilis Aulae Flamen Augusti senis
 Gentile sacrū, & numen arcanū hic colit.
 Stat facinus omne gentis, & longus Senum

Spe-

Spectatur ordo. Limen auratum tenet
VESPASIVS auctor Regiae; & late potens
VESPASIVS auctor gentis; & Romae **TITVS**

Breues amores; atque fraterno minor
 Regno **SABINVS**, laude virtutum prior.
 Affixa circum spolia bellisonae tubae, &
 Praecisa pendent rostra Carpathij maris:
 Palmifera Idume moesta, supposita pedes
 Ceruice dominos passa; coeruleo sinu
 Iordanis, vndas amne famulari vehens:
 Solymi triumpho decora; ramosae facis
 Tergeminus ordo, plurimo fulgens labor
 Auro; & Canopi terror Erythraei maris
 Monstrifera quondam virga castigans fretum.

Huc ergo (nequid Atreum pudeat sui
 Dissimile monstrum generis) huc terrae
 lues,

Domitius acer liberos fratris trahit.
Armenia catulis mitius raptis fera
Furit; aut comati colla **Marmaricus** iuba
 Perfusa iactans stabula cum vastat leo.

Cho. Iuvenes quid ausos; aut quid ausuros trahit?

Nunc. Nulla nocentes fraude, nocituros nihil:
 Ut cuncta perdat scelere gratuito, insolens
 Immolat ad aras **Pelopis** infamis **Nepos**.

Cho. Geminosne durus **Flavios**? fratris genus?
 Suos

Suos nepotes, obsides pacis, sacrae
 Fundamen Aulae? Ciuium heu votum breue!
 Quis modò Latinae iura concessit togae?

Nunc. Hos maecat ipsos.

Cho. Sustinet tantum scelus
 Adstans minister?

Nunc. Teste submoto procul,
 Monstrator vnus sceleris infandi, **Magus**
Tyaneus adstat hospes; & sacro praest
 Interpres hostis. quicquid hic monstrat,
 patrat

Veneficorum **Mystra**, Romanae scelus
 Aulae, nepotum carnifex, Regum pudor,
 Labes ruentis Regiae.

Cho. Cuius manu,
 Magi ordinatum fraude, perficitur sacrum?

Nunc. Ipse est Sacerdos; ipse contrectat ferox
 Deuota sacro corpora; asperfas mola
 Componit ipse victimas; vitta comas
 Astringit ambas; nobiles tergo manus
 Retorquet ipse; nulla pars sacri perit,
 Ne non patretur ordine infandum scelus.

Ioan. Si placuit inquinare patruales manus,
 Cur inquinare scelere **Tantalidum** cupit?

Nunc. Quoddam **Sibyllae** carmen, & **Ducum** minas,
 Cladisq. magnae nuncias sortes canit:
 Crimine propinqui generis vrgeri domum:

Generis propinqui funere auerti metum.
 Hac ille dirum voce praetexit nefas;
 Sic facua Divum monstra differtat Magus:
 Linguas Deorum, victimae fibras, faces,
 Variamq. fumum thuris, ad caedem duos
 Cum patre natos quaerere: hinc Romae
 metum

Omniem imminere: criminum auctores sacro
 Proinde posci, & caede lustrari domum.
 Hoc deuouetur scelere Clementis caput:
 Hoc Flauiorum capita poscuntur duo.
 Reapse crimen Regiae, & Romae scelus
 Residet in ipso Rege; quem caecus furor
 Excordis irae, Veneris & turpis vapor
 Vtroque pronum raptat, & scelere inquinat.

Ioan. Scelus expiatur? scelere geminatur nefas.

Aulae timetur? caede vastatur domus.

Generi cauetur? prole viduatur genus.

Fulcire tentat regna? labefactat statum.

Pacem Deorum quaerit: haec placant Deos?

Sanguine litari numinum monstrant minae?

Sanguine Nepotum, puberum gemina nece?

Patris innocentis liberis innoxijs?

Portenta quae sunt; sacra si monstra haec
 vocant?

Haec facta placant, scelera quae laedunt
 Deos?

Hor-

Horret malorum probra, cur maestat bonos?
 Pietas vocatur ista, quae caedit pios?
 Vt eluantur scelera, temerantur manus?
 Vt leniatur ira, scelerantur sacra?
 Heu sterile veri pectus! heu praeposeros
 Hominum timores! summe Dominator poli,
 Haec monstra cernis? pateris hoc tantum
 nefas

Impune? nondum fractus elisis tonat
 Fulminibus Orbis? pura voluuntur suo
 Taciturna tractu sidera, & pleno imminet
 Splendore Luna? mite proh pectus patris!
 Proh lenis irae fulmen, & lentus furor!
 Si talis ira, qualis est clemens amor?

Effare; Iuuenes ore quo mortem ferunt?

Nunc. Quo nemo vitam. Certus aeternae spei
 Stetit acer animus; frontis excelsae color,
 Et roseus ille fulgor in vultu manet
 Laetior; & ille pectore ex imo decor
 Effloret, index certus ingenuae facis;
 Et in ore, mentis hospes, existit Deus.
 Neges perire puberes; nasci putes.

Ioan. Num sensus idem mortis ambobus fuit?

Nunc. Maioris ardor maior, & propior viro.

Vespasius ictum vulneris risu leuat,
 Patruiq. culpam libera voce arguit,
 Vt roq. segnem in vulnus irritat manum.

N

2

DUER

Dum saeva caedi dextra designat locum,
 Dum pendet ictus, librat & mortē manus;
 Vultu renidens ille, sed vultu graui,
 Patruus nepotes immolas? at cui DEO?
 Magi Sacerdos, inquit, aeternum probrū.
 At qua nocentes fraude, quos Reges modo
 Orbi legebas, immolas? regnum dabas,
 Haec cū parabas sacra? patruales opes
 Times, Tyranne; nō times hostes Magos?
 At nostra rides sacra, qui CHRISTVM,
 DEVM

Negas, nouumq. numen induci vetas.
 Cur tibi litari, templa cur poni iubes?
 Cur te Mineruae filium, cur te Deum
 Iactas? At ille noster est verè DEVS,
 Quem morte testor, lingua quem moriens
 canet.

At tu piorum caede qui placas Deos,
 Pietatis hostis, hostis & certus DEI;
 Nunc perge; CHRISTVM vindicem timeas
 tamen.

Haec fatus, ora praebet; & patruī manum
 Exosculatus, vulnus excepit statim.
 Ceruice lapsum currit, & IESVM piè
 Crebra retractat voce morientis caput.
 Capite amputato, truncus in patruī sinum
 Occubat. at ille durus ingessit focis.

Heu

Cho. Heu iuuenis immerentis indignam necem!
 Princeps iuuentae iuuenis heu fortis fuit.
 Fortis fuisti, Vespasi: sed nos tui,
 In spem futurae laudis euecti breuem,
 Miseri repente excidimus, & regno, &
 Duce.

Ioan. Parcite querelis: regna Vespasio manent:
 Fortem vt decebat, fortiter cecidit puer.
 Nec ille moritur, astra qui moriens tenet.

Cho. Hac caede functus, deinde quid patruus
 parat?

Nunc. In scelere perstat crudus, atque instat sibi:
 Dextraq. ferrum, rore respersum, tenet:
 Laeva minorem Domitiū ferro admouet.
 At ille gemina fratris, & CHRISTI face
 Impavidus aram scandit; & quaerit diu
 Oculis, euntem spiritum per quae polo.
 Infinget astra; splendor in roseo fuit
 Pallidior ore. Qualis aestiuo rosa
 Sub Sole mane moesta paulatim fugit.

Dein ora soluēs: CHRISTE, populator stygis,
 Fulgētis Aulae CHRISTE regnator potēs:
 Et tu pudoris taeda primoris, poli
 Regina, Virgo casta, virtutum parens:
 Quacunque parte prospicis Romā, precor,
 Has cerne flammās, Mater; & celerē fugā
 Excipe volantis spiritus ad te, parens.

N 3 Si

Si quid palustre, si quid humanum meo
 Insedit animo, sanctus exurat calor
 Demissus astris; flamen & Nati efficax
 Patruī fauillas adiuuet. nunc me, precor,
 Fratri redona: redde nunc fratrem mihi:
 At mox parentes, esse quos nosti tuos,
 Et mox Sororem redde, quam noui tuam.
 Si crimen odi, spiritū hūc Coelo, obsecro,
 Admitte, Mater; mortis infernae locum
 Ne me pauentem terreat; si sum tuus:
 Si pectus hoc, si spiritum addixi hunc tibi.
 Hic est dies (hunc, quaeso, reminisci velis)
 Hic ille, Mater, est dies, quo ne scelus
 Temeraret aliquod spiritum addictū tibi,
 Patruo remisi regna Romanae togae:
 Imperia rixi: Regna nunc posco mihi
 Diuina reddi, humana si spreui, Parens.
 Haec ait, & ensi fortiter iugulum obtulit.
 Simili recisum vulnere ē collo caput,
 Simili cucurrit murmure, & IESVM ciet.

Cho. Geminae laudis decus heu geminum,
 Par heu perijt nobile fratrum.
 Funde querelas, moesta Iuuentus.
 Similis laudis diuersus amor,
 Natusq. togae, natusq. sagis
 Cecidit: cecidit mite pudoris
 Decus ingenui.

Ex-

Nunc. Exhorruisti facinus? hic vtinam trucidis
 Animus Tyranni sistat.

Cho. Est, quò progredi,
 Vltorius ille possit?

Nunc. Heu fari piget,
 Quod facinus horret animus & diro metu
 Praefaga mens veretur. Vt fratres rogos
 Petiere proni, capita Tyaneo dedit
 Excepta lance; sanguinem patera legit.
 Ollam Thyestae vereor, & fratrum dapes.
 At frater Atreus alter inscribi potest:
 Dicit Thyesten alterum, plane est nefas.
 Quid cardo sonuit regius? Rex est. Pater,
 Aliquo hunc receptes puberū tecū chorū.

SCENA DECIMA.

Imperator. Flavius Clemens. Tyaneus. S. Ioannes.

Imp. Bene est: beate est: cordis exsaturatus est
 Furor: litauit: Regna stabiliui manu:
 Regno imminentis fratris excussi metum.
 Sat est. quies est parta. Sed cur sit satis?
 Actum supremum fabulae impona t stylus.
 Carcere solutū siste, Centurio, huc patrē:
 Cernere iusbit squalidi sordes viri:

N 4 Cer-

Cernere iuuabit, ora natorum pater
 Cū abscissa cernet, ore quos motus dabit?
 Quos voce questus? ingeram luctum im-
 probe:

Spectabo vultus: exigam fructum mei
 Sceleris. perirent cuncta, nisi moestum
 Patrem

Natis ademptis cernerem; nisi vulneris
 Imprimeret altum pectori sensum dolor.

Tu reliqua nostri, Miles, imperij ocyus
 Meditata fortis perage: sublato Duce,
 Genus nefandi caeterum exagita gregē,
 Imbelle vulgus, deditū CHRISTO genus.
 Disijce, refringe, scinde, proturba, oppri-
 me:

Antiqua dirae caedis exempla innoua:
 Quaere irreperta: mite fit lethi genus,
 Perire flammis, fluctibus, telis, feris.
 Fas est in isto genere, quā in alio est nefas.

At illa turba, petere quae ferro latus
 Est ausa nostrum; iura regnanti dare;
 Abstrahere fontem vinculis; Regis sacra
 Decreta, quantum potuit, audaci manu,
 Et voce dira excindere; horrendae necis
 Deuota noxae, debitas poenas luat.

Sed ecce, cladis genitor ignarus suae
 Paedore diri carceris foedo oblitus.

Pie-

Pietate victus cedit irarum furor:
 Oculosq. flexit squalor ingentis modò
 Fratris: sed hostis nēpe: quod primū mihi
 Subeat: timore pectus, hoc viuo, mihi
 Nunquā vacabit. Verba sed dentur tamen
 Vltima dolori. Frater, erratum est satis.
 Ignosce crimen: caecus, & flecti inscius
 Dolor trahebat: fateor, erravi; meo
 Veniam furori tribue; peccaui satis.

Fl. Cl. Hostile crimen praeterit noster dolor.
 Hostibus amicus, fratribus multò magis
 Donare veniam debeo, possum, scio.
 Habeo quietae pacis auctorem DEVM.

Imp. Posthac colatur sanguis: irarum furor
 Cedat vicissim: quidquid odiorum fuit,
 Fuerit: quietam iura moderemur pari
 Omine: propinqua sceptrum iungamus, Deo
 Auspice. Liquorē Palladi liba hunc meae;
 Imple capaci dexteram, frater, scypho:
 Gentile pondus sustine; Matrem cole.

Fl. Cl. Libare vero numini mos est meus.
 Ne, frater, erres; testor, est Pallas lapis.
 Tu lapide melior, fume meliores, precor,
 Animos, vocantis numinis vocem audiens:
 Et viue CHRISTO, pace si vera frui,
 Et laude vera, frater, augeri cupis.

Imp. Quod me decebat, differ in praesens: pie
 Mox

Mox verba rursus audiam . nunc hoc age:

Indue paratus regios : nexus, mei

Sceleris furores, exue; & fronti hanc notam

Impone, frater; cinge venerandam comā .

Fl. Cl. Certum est; recuso stemma Regalis notae,

Quod sat dedisse filijs, frater, fuit .

Quidquid dedisti filijs, patri est datum .

Commune natis munus, & Patri dabas,

Romana natis iura cum, frater, dabas .

Imp. Fratrem potiri laude praeclara vetas ?

Fl. Cl. Laus tua peracta, frater, est : quaero meā .

Reijcere statui stemmatis primi decus .

Imp. Meos pudores detrahi saltem sinas ,

Haec vincla, frater .

Fl. Cl. Vinculis necti mihi

Dulce, & decorum est : Vincla sic CHRIS-
TUS DEVS

Gessit: sed insons . Laude me tanta frui

Permitte : CHRISTI, frater, imitabor de-
cus .

Imp. In fratre patiar scelera spectari mea ?

Seruile signum Regius sanguis gerat ?

Dedecora nostri criminis nunquam feram:

Meus obfolescit vinculis splendor tuis .

Diripite, Iuvenes, vincla .

Fl. Cl. Sic Caesar iubet :

Exuite vincla: grata sed nobis erant .

In-

Imp. Induite pictae chlamydis ornatum .

Fl. Cl. Chlamys ,

Quā tu, gerebas, CHRISTE, splēdidior fuit .

Imp. Meos nepotes, filios dignos Patre ,

Primos amores Urbis acciri placet ?

Fl. Cl. Quae res beare sola moerentem potest ,

Prolis parenti redde conspectum, precor .

Imp. Reddo: aduocentur . Filios noscis, pater ?

Agnosce vultus; fruere; complexū expedis

Saturare; visus pasce; contrecta duos .

Dubitas? quid haeres? crede, sunt nostrum

genus .

VESPASIVS hic est, aptior Caesar sagis :

DOMITIVS hic est, aptior Caesar togae .

Hos ego cecidi; reliqua congeffi focis :

At caesa moesto capita seruaui patri .

His regna tribui, & spiritū extraxi modò .

Guttae cadentes ora taciturno lauant .

Ceruice lapsa verticis pondus labat .

E corde ducit spiritus imo miser .

Omnes doloris edit infaelix notas .

At ego beatus .

Fl. Cl. Vasta, disclusis procul

Disclusa terris, maria; terrarum sola

Exclusa ponto, audite Romani Ducis

Pelopeia facta: Fratris infandum, nouum,

Dirū pudendū, barbarū, audite hoc scelus .

Vel

Vel tu, Deorum terror, & Regum metus,

Tu potius audi, CHRISTE, quas cogor
miser

Fundere querelas: questibus patris vaca
Orbi, immerentis. Vota non facio irrita,
Nil humile genitor ploro: tu votum es
meum.

Tibi sum relictus: cuncta si defint, tuo
Numine beatus. Liberos si tu duos
Coelo intulisti, gratulor Coelo, & tibi.
Sin quod pauetur aliud; orbatum patrem
Solare quaeso; meq., si merui, & meos
Adscribe Coelo: Fratris hoc tantum nefas
Dimitte: Romæ regna, quod iã nũc moues,
In melius olim verte: quae nuper PETRVS,
Quae multa terris PAVLVVS expertus, dato
Sanguine, sacrarunt: scelera terrarũ amoue:
Ordire foelix Seculum dignum DEO.

Quo scelere nocuos filios patri eripis?

Qua fraude nocuum filijs patrẽ abstrahis?

Imp. Si scelera quaeris, liberũ est scelus Pater.
Tui fuerunt: Patris est crimen DEVS
Tuus iste CHRISTVS.

Fl. Cl. Sceptra nunc verè gero:

Omnia recepi decora; nil perijt mei,
Nihil per ibit.

Imp. Quàm nihil, Clemens, vides!

Immo hic peribat (recipe, ne pereat) li-
quor:

Tuus est; tuorum liberũm hìc sanguis, tibi
Quem nunc propino; fume: ceruicem feri
Lictor.

Fl. Cl. Beatè est, CHRISTE, iucundè est, benè est.
Merior, quod vnam est omnium: at mo-
rior tibi;

Quod est bonorum nempe paucorũ decus.

Tya. Nobis reserua, Lictor, abreptum caput.

Imp. Centurio, in oras classe DOMITILLAS
procul

Auehe recinctas fluctibus binis duas.

Tya. Optatus ipso in tempore aspectum sui
Noster IOANNES obtulit. Lictor, caput,
Patri recisum, proijce actutum mihi.
Damis, duorum capita natorum haec tene.
Zebedaeie, Solem Vesper exegit polo:
Lucebit aliquid melius, vt spero, tibi.
Exsilia Romae rector, hortatu meo,
Tibi dat. abito. imperia decretae fugae
Haec ipsa sũt, si quaeris: haec Regis nota est.
Nunc hoc, amice, munus exsiliij accipe
Solamen ingens: capita paruorum Ducum
Haec Flauiorũ, & hospitis caput hoc tui.
Hic nostra regna sunt: citum exporta hinc
pedem,

Et fruerè dono. Reliqua Tyaneus tuus
Imperia Regis transiget. CHRISTI genus,
Absente te, te fluctibus clauso undique,
Ornabit opibus vsus Aeneadum, & suis.
Laudabis. In nunc; strenue illude exuli.

Ioan. Improbe, nefande, sceptrà sic ludis Ducû?
Perfide, superbe, dire, crudelis, ferox.

Tya. Immo cadauer criminum, scelerum lues,
Laudis Charybdis, fraudis Euripus quoque.
Verbis tonantis facta respondent senis.
Tyaneus ista dona Zebedaeio refert.

Ioan. Sûnt moesta: sed praeclara, quæ Cœlo DEVS
Spectat benignè dona: tu spernis miser,
Quia nil sapias coeleste, nil humani habes.
O dulce cari capitis exuium hoc mihi!
O cara Iuuenum spolia, Romanis mihi
Potiora Regnis! ite nunc comites fugae,
Sic ite mecum sarcinae pondus leue.
O me beatum munere hostili senem!

Sic ite mecum. cernit haec ultor DEVS,
Barbare: reposcet fraudis auctorem DEVS.
Huic vindicandum scelera te seruant tua.

Tya. Te vindicandum Regibus trado meis.

Ioan. Ne metue; non est fera, quæ sero venit
Vindicta. *Tya.* Tritû carmè antiquû canis.

F I N I S.

L E C T O R I.

Actus secundi Scena quarta, vbi
Domitillae inducuntur, quae
postea nihil agunt, ab autore dispun-
cta fuerat; quia inter scribendum
animaduertit, sibi nō licere, feminas
illas in scenam dare. Placuit tamen
eum quoque locum ibi reponere, vt
ex opere praeclaro nihil periret.

Errata sic corrige.

Pag. 4. vers 15. *crispifultas*: crispifuleans. 17. v. 1.
Quo flamen: Quo. 26. v. 24. *orbis, cardine*: orbis car-
dine. 42. v. 25. *Gemma sinistram*: Gemmae. 48. v. 12.
condiscit, puer: condiscit puer. 59. v. 8. *rapit*: capit.
66 v. 10 *laeuia*: leuia. 75. v. 1. *deceant*: doceant.
77. v. 15. *Allecta, blandum*: Allecta blandum. 95.
v. 19. *requirent*: requirunt. 114. v. 18. *succintus*: suc-
cinctus. 116. v. 16. *dum quaeris*: quaeris. 127. v. 6.
capessat, nata: capessat. Nata. & mox v. 8. *cultus*.
More: cultus, more. 142. v. 3. *quiquis*: quisquis.
143. v. 2. *puber*: pubes. 189. v. 17. *strideti*: stridenti.
& alia leniora.